



Z Biblioteki  
Seminaryum  
Bandomierskiego

12198



PERILLUSTRI

ADMODUM REVERENDO

DOMINO

ERMINOLDO

BABCZENSKI

Sacri Ordinis

CANONICORUM

*De*

SAXIA

PRÆPOSITO

Califfiensi, & Stavifinensi,

CONCLUSIONES


EX UNIVERSA THEOLOGIA

Unà cum hoc Opusculo

DEDICAT

R. D. MARTINUS KROLIKIEWICZ

Marianæ Academiae Cancellarius,



CALISSII

Typis S. R. M. Coll: Soc: JESU.

Anno Domini 1758.



PERILLI

PERILLI

PERILLI

PERILLI

PERILLI

PERILLI

PERILLI

PERILLI

PERILLI

PERILLI

PERILLI

PERILLI

PERILLI

PERILLI

PERILLI

PERILLI

PERILLI





*Donatus Petrius Vicarius in vigis  
Willy. Lang. per M. Jacobu. Cantuari.  
Francisci Cantuari. Regni. de Italia.*

PERILLUSTRIS

ADMODUM REVERENDE

DOMINE 12198

Z Biblioteki  
Seminaryum  
Benedyktarskiego

**E** *tsi opus hoc & ab argumenti  
nobilitate præstantissimum,  
& singulari authoris ampli-  
tudine longè dignissimum in sese fue-  
rit: tamen quantum ex illo in Te  
Totumq; ordinem amplitudinis pro-*

( a2 )

nat



nat & præstantiæ; tantum ex  
Vestro vicissim ordine illi additur  
ornamenti. Ego enim sic existi-  
mo, in quocunque demum libro, si-  
ve publicæ omnium utilitati, si-  
ve privatæ cujuscumque consecrato  
laudi illas inesse virtutes oportere;  
ut aut in omni laudationis ge-  
nere præstantissimi sint, qui inscri-  
bunt, aut præstantissima, quæ scri-  
buntur, aut ambo hæc & Authoris  
scilicet & rei præstantia, in æquæ  
præstantissimum colliment finem.  
Quid igitur P. R. D. aut à rerum  
isthic contentarum amplitudine,  
aut ab ejus, qui scripserat autho-  
ritate, aut ab illo, in quæ omnia colli-  
mant, sine præstantius in alio quis  
piam requirat libro, quod in hoc ad  
tui amplitudinē honoris desideret?

Nam



Nam sapientiam Viri quod attinet,  
illa magis ex istius contentione o-  
peris, quàm per sese intelligi atque  
cognosci potest. Ego verò sic existi-  
mo, satis illi id laudis esse; illum ta-  
le consecratorum DEO hominum  
institutum vivendi profiteri; quod  
quidquid demum voluminum in pu-  
blicam divulgavit lucem; illud ab  
sapientissimorum vivorum appro-  
batum calculò, Divino in spiratum  
consilio, esse oportere, hoc autem  
Spiritus Divini oraculum cum in  
omnibus libris summum debere esse  
existimo; tum in hoc tanto singula-  
rius, quanta ille Polonos inter  
in speciem Politicos, reapse autem ali-  
quid alentes, monstri contentione,  
quanta honori tuo consecrata lau-  
de coeteris supereminet. Neque ve-



*rò excusatio obscuritatis meæ, quâ  
densissimas tuæ claritudini offudis-  
sem tenebras. obtrudi potest. Hæc  
enim sive populari aura, sive scien-  
tiarum luce adhuc caruit; à Vestro  
ILLUSTRISSIMORUM Viro-  
rum splendore JOSEPHO LU-  
KASKIEWICIO, Cracoviensi  
Canonico Vestri Commisario  
Ordinis. Doctore utriusque ju-  
ris. STANISLAO WOLSCIO,  
Generali, Doctore utriusq; juris  
S. R. M. Secretario. THEO-  
PHILO KUCHARSCIO De-  
finitore primo, THEODORO  
IWELSCIO altero, Secretario  
Provinciae, Sacro Cracoviae  
Oratore. FERDINANDO  
LIERS Sandomirienti Præposi-  
to. FRANCISCO WEGIAR-  
SCIO*



SCIO Biskupicensi Rectore, à  
Te ipso P. R. D. Secretario. Pro-  
vinciæ Præposito Hospitali Cra-  
coviensi antea, hodie Califfiensi,  
*satis sibi lucis affundi gratu-  
labitur; neque verò eam duntaxat  
lucem, quæ velocissimi in morem  
fulguris quo omnes simul pervola-  
vit plagas, eodem ipso tempore eva-  
nescat; verùm omnino illam, quæ  
à Vestri Ordinis sapientia, singu-  
lari in DEUM pietate, in pro-  
fana Sacraq; Polona Republica  
authoritate, immortalis olim poste-  
ritati; meæ quoque privati ob-  
scuritati hominis lumen afferat.*

Ita vovet  
Nomini & honori addictissimus

Martinus Krolikiewicz,



THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

REPORT OF THE

COMMISSIONERS

OF THE

UNIVERSITY OF CHICAGO

FOR THE YEAR

1880-1881

CHICAGO

1881

PRINTED BY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

REPORT OF THE

COMMISSIONERS

OF THE

UNIVERSITY OF CHICAGO

FOR THE YEAR

1880-1881



# MIPHIBOSETH

SPIRITUALIS

*Id est*

## RELIGIO

SEU FIDES AULICA

*Claudicantium in utramq; partem*

*Seu Syncretistarum, Adiaphoristarum, & Libertino - Pietistarum Arbitrarium, quemvis, modò sit Christianus & honeste vivat, in sua Secta salvari posse; Controversias verò, quæ de cæteris agitantur, Ecclesiasticorum duntaxat altercationes, & res minimè ad salutem necessarias esse.*

Ad rectè ambulandum.

*inducitur*

Per P. GODEFRIDUM HANNENBEG S. J. THO.

*Opus Posthumum.*



CALISSI,

Typis Collegij Societatis JESU. An. 1730.



IMPRIMATUR  
ALEXANDER GORZENSKI

Canon: Cathed: Gnesnens:

Archi Diaconus & Offici:

Califfiensis mpr.

JOANNES JUSKIEWICZ,  
PRÆPOSITUS PROVINCIALIS

Soc. JESU per Poloniam.

CUM Opus quod inscribitur: *Miphiboseth Spiritualis, id est Religio Politica*, aliquod ejusdem SOCIETATIS Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestate mihi facta ab A. R. P. Nostro *Michaële Angelo Tamburino*, Societatis Nostræ Præposito Generali, facultatem concedo, ut typis mandetur, si iis ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus fidem, has Literas manu meâ firmatas & sigillo munitas dedi. Cracoviæ 27. Maji 1730.

*Idem qui supra mpr.*





*Ad Lectorem.*



Æc est nostri ævi nunquam satis  
deffenda calamitas, quòd vel in-  
ter eos, qui Christiano nomine  
gaudent, haud páuci reperiantur  
ejusmodi Politici, qui de æterna  
veraquè Beatitudine parum solli-  
citi, eò collimant unicè, ut in hoc sæculo id est,  
ærumnarum omnium Theatro vitam tranquil-  
lam, & eminentiæ Beatitudinis pigmentò fuca-  
tam, trahere valeant. Et ideo rerum tempora-  
lium, Honoris videlicet & Fortunæ, nec non  
humanorum respectuum curâ abrepti, ea quæ  
ad Salutem æternam omnino sunt necessaria, ve-  
ram nimirum Fidem & Mandatorum observã-  
tiam, in seriam considerationem non admittunt.  
Quin imo Fidem Divinam in humanam, Reli-  
gionem Christianam in Politicam, quæ se cir-  
cumstantiis necessitatis, assentationis, loci, tem-  
poris, ac Personarum quibuscum agunt, per o-  
mnia accommodet, intoleranti quadam Metamor-  
phosi reformant. Cupiditas siquidem, & molli-  
oris vitæ amor, favoris umbra, indagandi la-  
bor, fallax securitas, aliaq; ejusmodi, omnem  
in iis veræ falsæq; Religionis differentiam obli-  
terarunt.



terârunt, adeo, ut cunctas in Christianitate, etiam oppositissimas sibi sectas, substantialiter approbent, & omnibus salutem appingant indignissimè. Ex his autem alii sunt Syncretistæ, non adeo pridem Dissidentes inter, progeniti: qui volunt, quamlibet è discrepantibus, præsertim his tribus, Catholica, Lutherana, & Calviniana, veram Religionem esse, hominesq; in quavis salvari posse, eo quod in essentialibus, seu ad vitam æternam omnino necessariis Articulis (ut arbitrantur) conveniant! discrepantia autem sit in accidentalibus duntaxat & adia-phoris, per inutiles Ecclesiasticorum tricas & Disputationes introducta. Quapropter, nullam ex his Religionibus damnandam, rejiciendam, postponendam, aut molestiâ aliqua afficiendam esse existimant. (Ita loquuntur, sed non faciunt: dicunt, *Pax! pax! & non est pax*: Ubique enim prævalent, Catholicos opprimunt vel maximè.) Alii verò sunt Libertini, indifferentes, & adia-phoristæ, Pietismum locò Pietatis sapientes: qui licet syncretizent cum Syncretistis, & cretizent cum Creten-sibus, quatenus omnibus favent Sectis, nullam tamen ex vera animi Sententia profitentur! sed novam sibi Religionem fabricant, asserentes ad salutem consequendam sufficere, modò quis honestè vivat, & in unum DEUM ac Christum credat: vel (ut alii) si credat Symbolum Apostolorum: vel (ut denuo alii) si ea credat, quæ clarè & expressè in Sacris Literis præcipiuntur: minùs de his quæ paulò obscurius exarata sunt. &c. &c.

Habent



Habent hoc, quotquot inter Protestantes, Negotium Religionis parvi faciunt, ut, dum Catholicorum Argumentis ad angustias, unde elabendi non patet via, rediguntur, rimam sibi aliquam aperiant, & Syncretistas induant. Nos cum Catholicis convenimus in Substantia, (inquiunt) de rebus minoris tantum momenti, nec ad salutem necessariis disputamus. At ubi rima hæc obstruitur (ut faciemus in præsentia) ad privati Spiritûs latebras recurrunt: cujus testimoniò, dicunt, se in Anima Divinitus edoceri, ut de vero scripturæ sensu judicare, deq; reliquis Fidei Controversiis decidere valeant. Tandem dum hoc quoque latibulum diruitur (ut mox videbimus) sub Libertinorum specie in lucem prodeunt, & nec hanc nec illam sectam profitentes, novum sibi Religionis Systema de repente construunt. Innatum siquidem est Sæculariis antiqua fastidire, & ad nova anhelare: unde vel ipse testatur Seneca dicens: *Proprium ægri Animi est, nihil diu pati.* Ut verò commenta sua hominibus arrideant, virtutis ac veritatis fucò eadem convestiunt, & modestiæ, charitatis, paciisque pigmentò, decorata, velut dulce venenum propinant legentibus. Et hac fraudulentæ charitatis industriâ, sub Sacrarum Litterarum velamine; sub dulcissimi Nominis JESU ovina specie, grassati sunt omnium temporum Novatores. Pro nostra cautela, ut blanditias ejusmodi suspectas habeamus, sic describit Manichæos circa Annum Christi 390. S. Augustinus lib: 3. Confes: c. 6. *Incidi in homines car-*



nales & nimis loquaces, in quorum ore laquaci, & viscum confectum in commixtione Syllabarum Nominis Domini nostri JESU Christi, & paracliti Spiritus Sancti. Hæc enim omnia non recedebant de ore ipsorum: sed sonotenus & strepitu linguæ: Cor autem eorum inane veri. Et dicebant, Veritas! & veritas! & nusquam erat in eis, sed falsa loquebantur.

Aliorum Novatorum Genium & speciem apprimè imitatus est nuper quidam Politicus in Opusculo suo Germanico, quod inscripsit: *Vera & unicè Salvifica Christiana Religio Dissidentium in Polonia & Prussia &c. per ordinem ad Libellos hæctenus editos à P. Godefrido Hannenberg Soc. JESU expendendos, proposita.* Non placet huic Authori antiqua Veritas Catholica, ut est manifestum. Nec placet Lutheri aut Calvinii, quæ duo sæcula numerat, Opinio: cum enim Lutherus sui que Sequaces nihil magis quàm Fidem prædicent, adeo ut etiam per solam velint justificare & salvare homines; ipse è contra, Fidei oblitus, veram Religionem in bonis duntaxat operibus constituere videtur. Pag: enim 4. sic loquitur: *Necesse est ut sciamus quid sit vera Religio, id est, quid homini faciendum aut omittendum, ut salvus fiat.* Et quamvis in suo Sententiarum S. Codicis Regestro, aliquid de Fide in Deum & Christum, per transennam inspersum proferat in proprio nihilominus discursu nequidè mentionem Fidei facit. Ne tamen Politicus hic, Fidem prorsus eliminasse, adeoq; nimis crasse errasse censeatur, interpretabor dicta ejus (ubi refutabuntur.) indulgentiùs, quòd nimirum per

facere,



*facere*, etiam *credere*, intellexerit. Verbo, non placuit Viro ipforum Syncretistarum ac Libertinorum, recens licet & adhuc fumans Inventio: novissimum maluit, ex Libertinismo, Syncretismo & Pietismo conflatum, Religionis Idolum effingere, inquiens: ad Vitam æternam opus solùm esse, ut homo ea faciat, quibus velut conditioni clarè & expressè Beatitudo appromittitur in scriptura; Reliqua vero etiam Sacris Literis contenta, adiaphora nec ad Salutem necessaria esse; sed ab unoquoq; prout sibi videtur, intelligi ac explicari posse. Porro errorem hunc re vera perniciosissimum, ut suaviùs instillaret legentibus, insigni virtutis ac veritatis fucò, nihil magis ad speciem promovendo, quàm bona opera, charitatem præsertim, pacem, mansuetudinem & dilectionem proximi, condecoravit. Adeo, ut eloquentia sua haud pauci capi possent, nisi illud Christi Salvatoris monitum: *Venient ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, seriò recolerent.*

Hanc itaque Religionem pseudopoliticam, seu Libertinismum Pietismo copulatum, sicut & quasvis alias Syncretistarum & Adiaphoristarum species, velut gravissimam Christianitatis pestem, & viam latam, quæ certissimè ducit ad interitum, invocatò Numinis auxiliò, ex omnium animis eradicare contendam in præsentia. Ante omnia tamen veram compendiosè monstrabo semitam ad Salutem, declarando, quomodo Catholicus certo scire possit, quæ credenda & facienda sunt, ut salvus fiat. Deinde



perditionis tramitem obstruam, manifestando, nec præfatum Dominum Politicum, nec quemcunque alium sive Syncretistam, sive Libertino-Pietistam, in sua Opinione idipsum scire aut scire velle. Tandem & præcipua, imo omnia, quibus ejusmodi homines communiter nituntur, fundamenta radicitus diruam. Hæc autem DEO dante, ita luculenter, ut omnis Anima palpate queat, in sola Romana Catholica Ecclesia, ea, quæ ad vitam æternam consequendam credenda & facienda sunt, certo sciri, adeoque & salutem ipsam obtineri posse: eum verò, qui hoc Opusculò bene perpensò, adhuc Syncretizare persistit, ad Mahometismum, aut Paganismum, aut denique ad atheismum ipsum proximè dispositum esse.

## PUNCTUM PRIMUM

*Declarat, quomodo Catholicus in Religione sua certò scire & habere possit, quenam ex voluntate Divina, credere & facere debeat, ut salvus fiat.*

**I. DEUM** Omnipotentem, & summè bonum existere, nemo nisi rectæ rationis expertus vel subdubitare potest, juxta illud: *Dixit insipiens in corde suo, non est DEUS.* *pr. 13. Invisibilia enim DEI, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & Divinitas, ita ut sint inexcusabiles. Rom: 1. Quoniam verò bonus est DEUS in omni genere, adeoque & bonitate sui communicativa, hinc*  
*naturas*



naturas creavit rationales, videlicet præter Angelos Hominem, ut suæ Bonitatis fieret particeps: & quidem hoc modo: ut se laudet, reveatur, sibi que serviens, tandem salvus & beatus fiat in æternum. *Creavit DEUS omnes Gentes* (inquit scriptura Deut. 26.) *in laudem & Gloriam suam.* Porro ut facere id ipsum valeat homo, innumeris eidem Naturæ & Gratiæ donis opitulatur. Produxit Cælum & terram, ingentes illos planetarum Orbes, multiplici luce ad omnium stuporem adornatos: totiusque maris & terræ commoda ac divitias, sustentandæ hominis vitæ destinavit. In quem, quæso, finem? Ut hisce rebûs ad sui Authoris cognitionem, Cultumque sibi debitum, ac tandem perpetuum in Cælis amplexum pertrahamur.

2. Non tamen talis erat DEO, quod homines ex contemplatione rerum creatarum, in aliquam sui suorumq; Attributionem apprehensionem, ipsius luminis naturæ ductu raperentur, & consequenter aliqualem duntaxat sibi cultum huic videlicet naturali cognitioni respondentem exhiberent. Sed statuit plura in eisdem, de Excellentia & Proprietatibus suis, de variis Mysteriis ac Decretis suis supernaturaliter revelare: certamq; Religionis formam, Ecclesiæ suæ communem, juxta quam unusquisque crederet quæ revelavit, & secundum Fidem hanc ageret quæ mandavit, ut salvus, fiat, præscribere. Quod ipsum post Legem naturæ, & scriptam, potissimum in Testamento novo seu Lege Gratiæ, DEUS præstitit. In qua ordinavit, ut universus  
Mundus



Mundus (cui & propterea prædicatum est Evangelium) omnes Populi, sub unum congregarentur Religionis Nomen, ita, ut quicumq; Salutem adipisci desiderat sempiternam, hæc crederet quæ de Mysteriis, Decretisq; suis revelavit, hæc operaretur quæ præcepit: & sic Eum coleret.

3. Quoniam verò Religio hæc, quæ in Fide & Operibus, in cognitione DEI ejusque Cultu consistit, omnibus debebat esse communis! ex altera quoque parte, hominibus ex Spiritu & corpore coagulatis, proprium & communè est, Invisibilia, mediante sensu, adeoque per visibilia cognoscere, hinc opus erat, ut DEI Verbum seu revelatio eorum, quæ credenda & agenda sunt, fieret nobis sensibiliter. Porro id primitus factum in Nova Lege per Os æterni DEI Filii in humana carne degentis, qui prædicavit quid crediturus operaturusq; Homo, ut vitam consequatur æternam. Et quidem sicut Legem novam prædicavit, ita & scripturam Veterem interpretatus est, ut habetur exem. cau: Luc: 24. v. 27. *Incipiens à Moysè & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturas quæ de ipso erant.* Imo & hæc quæ ore paulò obscurius protulisset, deinde explanabat, ut videre est exem. cau. Luc. 8. *de Semine secus viam, inter spinas &c.*

4. Cùm autem voces humanæ sint secundum se indifferentes ad esse Verbi Divini aut merè humani, ut tamen homines, qui eo tempore Christum perorantem audiebant, infallibiliter



biliter scirent, verba ejus, DEI Revelationem esse, adeoq; manifestum haberent, quidnam sibi ex Divina voluntate, necessario credendum faciendumque esset, voluit DEUS id ipsum evidens reddere per Miracula. Et ideo Salvator ipse protestatur: *Opera, quae ego facio, Testimonium perhibent de me, quia Pater misit me. Joan. 5. v. 36.* Et: *Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet Potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico, tibi dico surge, tolle grabatum tuum & vade in domum tuam Marci 2. v. 11.* Hinc & Nicodemus ad JESUM: *Scimus quia à Deo venisti Magister, nemo enim potest haec signa facere quae tu facis, nisi fuerit DEUS cum eo. Joan. 3. v. 2.*

5. Post Christi Ascensionem, DEI Revelatio facta est hominibus partim per os Apostolorum, (praedicabant enim DEI Verbum) partim per Scripturam quorundam. Et quidem quae succinctè & subobscurè à se scripta aut dicta fuerant, clariùs deinde assiduùs Concioniùs suis, explicabant. Apostoli infallibiliter, Imo si quando emergeret controversia, etiam Concilium (prout Act. 15. legimus) instituebant, ut homines eo tempore existentes, certò & absque hæsitatione scirent, quænam credenda sint aut facienda ad salutem. Utq; manifestè sibi constaret, tum scripturam, tum verba Apostolorum, Divinam Revelationem esse, DEUS ipse per Prodigia confirmabat dicta eorum: *Praedicaverunt ubiq; DEO cooperante & Sermonem confirmante sequentibus signis. Inquit Marcus c. 16. v. 20.*

6. Tandem



6. Tandem post Apostolorum tempora, per tot sæcula ad hunc usq̄ diem, licet DEI Revelatio in Scriptura manserit, necessario tamen dari quoque debent, sicut tunc ita & nunc & semper Viri ejusmodi, qui DEO assistente, infallibiliter nos certificent, tum de ipsa Scriptura, quod & quænam sit DEI Verbum, quisve germanus sensus ejus; tum de omnibus (maximè si aliqua exoriatur controversia) quæ ad vitam obtinendam beatam credenda sunt & facienda. Signa præterea de Cælo, aut Divinas veræ Ecclesiæ notas habere debemus, ut manifestum nobis fiat, præfatorum Virorum certificationes, omnino veras & ex DEI voluntate profectas esse. Quod sic declaro: Si enim verba ipsius Christi Salvatoris, tametsi loqueretur, *Quasi Potestatem habens*, non per se patebant esse Divina! sed per Miracula: *Propter opera ipsa credite*, inquit Dominus; Joan: 14. v. 11. Ergo multò magis idem censendum de Scriptura Apostolorum. Si tunc assecuratio de vero Sententiarum Christi Sensu, communiter non dabatur per Spiritum internum & privatum, sed per publica DEI signa: *Opera, quæ ego facio, Testimonium perhibent de me. Joan. 5.* Qua fronte id modo appingitur Scripturam bonò animò legentibus? Si protunc non obligabat DEUS aliter assentiri ipsiusmet Incarnatæ Sapientiæ dictis, nisi in quantum hæc extrinsecus per Prodigia confirmabantur: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Joan. 15. v. 24.* Igitur & modò, imo à fortiori, de  
veritate



veritate Scripturæ, ejusq̃ genuina Interpretatione Notæ infallibiles, & signa DEO propria habenda, ut credamus. Si primis Christianis præter Scripturam Prophetarum necessarius erat visibilis ejus Interpres, (*Interpretabatur Scripturas*, inquit Lucas de Christo c. 24. ) & DEI per signa extrinseca confirmatio: aliàs enim non potuissent firmam habere Fidem, ut colligitur ex immediatè adductis Testimoniis. Ergo & hodie præter Scripturam Apostolorum, id ipsum requiritur, ut quæ credenda & facienda sunt, certo scire valeamus. Similiter post Christi Ascensionem, si Apostolorum tempore, quamvis hæc ipsa Scriptura, qua nos hodie instructi sumus, & quidem quoad ipsum Originale, jam haberetur, DEUS nihilominus voluit, ut Apostoli etiam ore Verbum suum per univrsam Orbem prædicarent, seu quod brevi stylo nonnulli exaraverant, tot præterea sermonibus publicis & privatis, explanarent, inculcarent, & exponerent hominibus: Quos deinde *Sermones confirmabat sequentibus signis. Marci 16. v. 20.* Igitur & nobis Infallibiles Scripturæ Interpretes, & Controversiarum Diremptores quorum prædicatio, expositio, ac definitio, manifestè sit vera & Divina, providere debebat.

7. Et ratio horum ulterior est: si enim tunc hujus fuerat necessitas, multò magis successu temporis & modo, ubi tot assurrexere sectarii, qui non subobscuros duntaxat, verùm etiam clarissimos Scripturæ Textus, depravare & perverissimè interpretari consueverunt. Profecto  
**si DEUS**



si DEUS præfatae necessitati solùm tempore Apostolorum succurrere voluisset, postea verò minimè, sequeretur, eum illius tantùm ævi homines, firmos in Fide, atque de iis, quæ ad salutem consequendam credenda & facienda sunt securos, adeoq; vitæ æternæ accommodatos esse; reliquos verò omnes per tot sæcula, dubios, fluctuantes, & in salutis negotio perplexos ac desperabundos relinquere voluisse. Quod quis de communi Patre Milericordiarum sine blasphemia senserit?

8. Sed placet, memoratæ præter sacras Literas infallibilitatis extrinsecæ necessitatem, adhuc luculentius demonstrare. Ut securi simus, quidnam juxta Scripturam, in ordine ad salutem adipiscendam, oporteat credere & operari & quidem ut securitas hæc sit firmissima, qualem exigit Apostolus: *Licet Angelus de Cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus anathema sit. Gal. 1. v. 8.* tales dari debent Homines qui nomine DEI nos certificent de ipsa Scriptura. Primò, Quod ab Apostolis & ex instinctu Spiritus S. concinnata sit: quinam libri canonici: quæ versio ex Originali sit recta: quem sensum hi vel illi Textus revera habeant: præsertim ubi & quando exoritur Controversia. Utque Testimonium eorum pateat esse Divinum, dari quoque debent Notæ quædam infallibiles DEO evidenter propriæ, aut signa de Cælo. Unde enim aliàs haberetur securitas? cum DEUS ipse palam & per voces articulatas non loquatur hominibus. Certè non per aliquas ejusdè

Scripturæ



Scripturæ Sententias: de his siquidem eadem, quam immediatè innui, restabit quæstio. Nec per lumen aliquod privatum, merè interiùs assecurativum: tale enim Lumen in ordine ad hunc finem non dari communiter aut promiscuè hominibus, manifestè patet ex tot sectis diversimodè Scripturam & ea quæ credenda sunt, intelligentibus, tametsi omnes protestentur, se eandem bonò animò legere. DEUS autem, qui *Omnes vult ad cognitionem veritatis venire, 1. Tim. 2. v. 4.* omnibus quoque promiscuè media providere debeat, per quæ certò scire valeant (modo velint) quid sibi credendum aut agendum, ut salvi fiant. Et si tempore Apostolorum non permittebatur populo, regulari Spiritu privato, sed dabantur Doctores Spiritus S. assistentiâ præditi, eorumque prædicatio signis de Cælo confirmabatur. Qua fronte, quo fundamento, qua conscientia, nunc, seclusa hac Infallibilitate extrinseca, tota Fidei securitas interno nescio cui Spiritui (quem & paulò post, palinam re commentum esse luculentius demonstrabimus) attribuitur? Si Paulus nec Angelum, præterea quæ prædicaverat, inspirantem, voluit esse audiendum: (*Licèt Angelus de Cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus, anathema sit. Gal. 1.*) multò minus Spiritum privatum. Restat igitur, DEUM providisse Ecclesiæ suæ, homines Spiritu S. & infallibilibus veritatis signis ac notis instructos, qui nos hac in parte certificent.

9. *Secundò*, Licèt complures in sacro Codice perspicuæ habeantur sententiæ, quia tamen  
reperiun-



reperiuntur homines ejusmodi, qui etiam clarissimas alienò & perverso sensu interpretantur: Quid enim clarius e. c. quàm illud Mat: 26. v. 26. *Hoc est Corpus meum:*? attamen Lutherus voluit panem hic simul cum Corpore; Calvinus verò non Corpus sed figuram Corporis significari. Aut qui Scripturam per se claram pervicaciter asserunt esse obscuram: Quid enim clarius illis Christi verbis: Mat. 16. v. 18. *Dico tibi, tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo Claves Regni Cælorum quidquid solveris super Terram &c.*? Attamen moderni Protestantes volunt esse obscura: alii siquidem per Petrum, omnes intelligunt Apostolos, alii omnes fideles; alii per petram, Fidem Petri, alii solùm Christum &c. &c. Aut qui cunctos illos Scripturæ locos, quos in suæ opinionis tutamen violentissimè trahunt, & quidem eo sensu, qui ipsis placet ac videtur, volunt esse clarissimos. Sic Ariani existimabant, Textum hunc, *Pater major me est*, Joan: 10. v. 28. quo Christi Divinitati detrahebant, esse prorsus evidentem. Sic Anabaptistæ censent illum: *Qui crediderit & baptisatus fuerit, hic salvus erit.* Marci 16. v. 16. quem contra Baptismum parvulorum detorquent, omnino esse perspicuum. Sic Calviniani arbitrantur nihil illâ Scripturâ esse clarius: *Caro non prodest quidquam* Joan: 6. v. 64. quàm iniquissimè contra realem Corporis Christi in Eucharistia præsentiam, adducere confecerunt &c. &c. Proinde, ne dubii & incerti circa ea quæ Salutis sunt, hæreamus, necesse



celle est dari homines, qui nos, DEO assistente, etiam hac in parte, videlicet, quænam Scriptura revera sit clara, aut quo sensu clara, certificent. Unde enim aliàs haberetur securitas? Non ab ipsa Scriptura, de hac enim quæritur in præsentia. Non à Spiritu privato, ut ostensum *num: 8.* Non deniq; à proprio uniuscujusque judicio: hoc siquidem per experientiam constat sæpissimè falli in rebus licèt facilioribus, esseque inter homines diversissimum, ita ut, si hóc præcisè, spretis exterioribus infallibilitatibus nostris, regularemur circa Scripturam, tot propè diversæ darentur in Christianitate Religiones, quot Capita. Addo: Licèt hæc eadem clara Scriptura quâ nunc gloriamur tempore Apostolorum haberetur, tales nihilominus dari debebant, qui præterea Verbum DEI, signis de Cælo confirmantibus, ore prædicarent & exponerent. Ergo & modo.

10. *Tertiò*, Etiam clarissima Sacri Codicis Testimonia, quibus edocemur, quid nos oporteat facere aut credere, ut salutem adipiscamur, magna ex parte Propositiones sunt universales, in quibus quænam particularia contineantur implicitè, necessariò enucleandum est. Aliàs enim speculativè duntaxat & in confuso, aliquid de via Salutis loqui, non tamen practicè & determinatè eandem scire valeremus. Exempli causâ: Mat. 13. v. 43. *Justi fulgebunt sicut sol in Regno Patris*: licèt perspicuum sit, quòd *Justi fulgebunt*, quia tamen terminus hic *Justi* est universalis, ideo explicandum restat, quid requiratur ad esse *Justi*.



esse Justi, num sola Fides justificet, & qualis? an etiam opera, & quæ, aut qualia? Clarum pariter & illud Marci 16. v. 16. *Qui crediderit & Baptizatus fuerit, salvus erit.* Sed quoniam universale, opus est scire, quidnam credendum? Num sufficiat credere in DEUM unum & Christum? Et, si ita esset, igitur omnes quotquot fuere hæretici, etiam ab ipsis Apostolis anathematizati, Fidem habuissent salvificam. Ubi ergo Fides in Trinitatem Personarum? ubi Fides de Sacramentis, de toto Ecclesiæ Ordine, de obedientia Præpositis ejus exhibenda, de Divina Gratia, de Gloriâ Cælesti & Inferorum pænis &c. En quanta expositione etiam textus ad speciem notissimi indigent! Ut proinde non solum ore sed & opere, credere & operari, quæ oportet, valeamus, indubitatum, nobis esse debet, quid universales Scripturæ Propositiones implicite complectantur. Ast unde? quæso? Non ex aliis præcisè Scripturæ locis: cum de his quoque simile exoriatur dubium: nec certa inde, notitia quænam particularia, & num sub hoc an illò universali contineantur, haberi possit. Nec per Spiritum privatim, ut vidimus num 8 Ergo, ne aliàs Christianus cogatur dubitare de omnibus Sálutem suam concernentibus, tales dari debent, sicut ab initio Ecclesiæ, ita & nunc, qui DEO assistente, idque ipsum signis de Cælo approbante, hac quoq; in parte, infallibiliter nos certificent.

ii. *Quartò*, Multa in Sacris Literis reperiuntur subobscura, ut fateri debent Adversarii, præfer-



præfertim cùm ipse Petrus de Pauli Epistolis testetur dicens: *In quibus sunt quedam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas 2. Petri 3. v. 16.* Jam quæro, hæcne sunt DEI Verbum, vel non? Si non, igitur & de reliqua Scriptura licet perspicua quivis merito dubitare posset: non enim ideo aliquid DEI Verbum est, quòd sit clarum. Si verò sunt DEI Verbum, Ergo aliunde elucidata credidissent. Cùm de universo Evangelio, ac proinde de omnibus tam clarè quàm obscurè nobis exaratis testetur Salvator ipse dicens: *Predicatum Evangelium omni creaturae, qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur. Marci 16. v. 16.* Et certè lumine rectæ rationis notum est, hunc esse finem Divinæ Revelationis: ut quid enim loqueretur DEUS, si non vellet, ut sibi credatur? Hinc & Joannes: *Hæc Scripta sunt ut credatis. c. 20. v. 31.* Si itaque statuit DEUS etiam obscurè revelata credenda & observanda esse, Ergo providere debebat suis Fidelibus Expositores, Interpretes, ac Controversiarum diremptores infallibiles, qui signis de Cælo in ordine ad persuadendum instructi Sententias ejusmodi explanent, clarificent, verumque earum sensum manifestè indigent. Quod ipsum sic evincitur.

12. *imo* Hoc DEUS fecit, censuitq; necessarium esse hominibus tempore Apostolorum, quamvis eadem haberetur Scriptura. Ergo & per succedentia Ecclesiæ suæ Sæcula, & modò: cùm eadem, imo major postea, ubi tot Schismata & Se-



ta & Sectæ, tot Scripturæ versiones ac Interpretationes exortæ, sit, fueritq; necessitas. Et ideo Salvator noster non Apostolis tantum, sed & Successoribus eorum, in ordine ad docendum Spiritum Sanctum suamq; assistentiam promiserat dicens: *Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum: Spiritum veritatis, ille vos docebit omnia. Joan: 14. v. 16. Et: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem Sæculi Mat: 28. v. 20.* Porro id non solis Apostolis dictum, hi siquidem non permansuri erant in terris ad consummationem Sæculi: sed & Successoribus eorum, qui Christi Ecclesiam recturi ac docturi erant postea, juxta illud: *Quos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI. Act: 20. v. 28.* Nec etiam dictum cunctis Fidelibus: Tum quia, *Non omnes sunt Doctores. 1. Cor, 17. v. 29.* Tum quia præfata Spiritûs S. assistentia non dabatur omnibus promiscuè credentibus ab initio, (sed quibusdam Selectis Viris) Ergo nec modò. Tum quia, non dari, ipsa constat experienciâ in tot sectis & dissidentibus circa Fidem Opinionibus Tum quia, licet promiscuè dari soleat hominibus Illustratio superna ad hoc, ut credere valeant prout oportet, ea, quæ credenda sibi proponuntur, non tamen lumen ejusmodi immediatè confertur, quod quid credendum, revelet ac doceat infallibiliter; sed iis duntaxat, qui ad docendum omnes Gentes, à Deo electi sunt. Et ideo Christus ad Apostolos: *Dabit vobis (Pater) Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere Vos autem cognoscen-*



*agnoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Joan: 14. v. 17.*

13. 2do Nullâ alia viâ, in præfenti Providentia, Securitatem de vero memoratæ Scripturæ sensu, nisi per Homines præfato modò infallibiles, assequi possumus. Dicere enim, quòd unus Scripturæ Textus, explanet alterum difficiliorem, est Conscientiam in eadem anxietate & incertitudine relinquere: cùm restet quæstio, quisnam è clarioribus Textibus explicare debeat obscurum? Item cur hic per illum, & non potiùs ille per hunc exponendus? Utiq; errant Anabaptistæ, quòd locum istum: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in Regnum DEI. Joan: 3. v. 5.* velint explicare per illum: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, hic salvus erit. Marci 16. v. 16.* Et non potiùs hunc per primum. Nec ad Spiritum privatum recursus fieri potest, hic siquidem figmentum est prorsus ridiculum, ut constat ex dictis num. 8. & 12. cõstabitq; ex dicendis. Ac proinde frustra Libertino-Pietistæ arbitrantur, DEUM non exigere, ut ea quæ subobscurè à Spiritu Sancto dictata sunt determinatè credamus; sed velle, ut bonò animò legamus, expectando donec sibi placuerit, his vel illis Lumen conferre interiùs allècurativum. Frustra inquam, si enim Divinæ Locutionis sensus multis in locis est ambiguus igitur DEUS providere nobis debebat Doctores ejusmodi, qui certissimè possint, quoties exoritur Controversia, & necessitas exigit, sensum hunc determinare: ut suppositis supponendis, urgen-



te præcepto, ( protunc siquidem finis Divinæ locutionis est Fides nostra ) credere sicut oportet, valeamus. Privatum autem lumen, nescio quale præstolari velle, est non solum DEUM tentare, verum etiam cunctis sectariis, tametsi sibi oppositissimis, quotquot sunt aut fuere hætenus in Religione Christiana, occasionem præbere arbitrandi & dicendi, se lumine hoc assecutivo jam plenè illustratos esse; & genuinū Scripturæ sensum, de quo antè controvertebatur abunde percepisse: item, est permittere omnibus Libertinis & Syncretistis, ut cuncta sacri codicis testimonia, quantumvis perspicua, quibus sectarios qualescunq; demum, oppugnamus obscura nec necessariò credenda esse, juxta privati Spiritûs sui licentiam, perversissimè proclamant.

14. Quintò, Quicumque præter Scripturam sacram, memoratam Infallibilitatem extrinsecam admittere renuunt, hi Religionem Christianam, Judæorum, Mahometanorū, & Ethnicorum ludibrio exponunt. Sic enim nos deriderent: Qua fronte Christiani prædicatis nobis Fidem vestram? qua temeritate decertatis pro ea usque ad Sangvinem? in qua vosmetipsi dubii & perplexi quidnam revera credendum aut faciendum, ut salutem consequamini, fluctuatis. Si enim de fundamento Fidei vestræ, nimirum Scriptura sacra, quòd sit DEI Verbum, ejusque instinctu exarata, quinam Libri sint tales, quæ difficiliorum Sententiarum interpretatio certa, securitâs haberi nequit infallibilis: igitur



igitur de omnibus dubitandum. Quid hic responderent Novatores? An, (sicut conveverunt dicere) Scripturam ipsam toties de se testari, quod sit DEI Verbum, seque ipsam explanare? Ast de ejusmodi quoque Testimoniis quaeritur in praesenti, urgerent Infideles. Num dicerent Scripturam manifestè per se patere, Dei Verbum esse? Sed hæc riderent percontante, Cur igitur nobis non patet? Et si ipsius Christi Prædicatio non per se patebat esse Divina, sed signis de Cælo comprobari debuerat, (ut vestrum docet Evangelium nec peccatum habuissent qui non crediderunt Prædicationi ejus nisi Miracula fecisset, Joan: 15. v. 24. quomodo poterit per se esse evidens, quòd Scriptura Discipulorum suorum sit Divina? An tandem ad Spiritum privatum recurrerent, asserentes, nos interiùs de Scripturæ veritate ejusque sensu à Deo assecurari? Verùm ad id, plenèis baccis, subtannando & illudendo Religioni Christianæ exclamarent Infideles: Figmentum est & vana persuasio! Qua ratione vobis credendum, vestramque persuasionem, Divinum instinctum esse demonstrabilis. Nobis Spiritus testatur oppositum: & si Christianis licet Spiritu regulari privato; igitur & nobis &c. Et hæc est causa, quod Novatorum Ministri de Conversione Gentium minimè sint solliciti, metuunt siquidem, ne prima statim fronte explodantur ab illis. Sed cur Salvator noster præcepit suis prædicare Evangelium per universum Mundum? Cur Apostoli eorumque successores, in primitiva &



continuè ad hodiernum usq̃ diem succedente Ecclesia Catholica, pro Fide vera etiam sanguinem suum fundere non dubitarunt?

15. *Sextò*, Si præter Scripturam non daretur præfata, in Ecclesia Christi infallibilitas, tunc nulla in Orbe terrarum infelicior esset secta quàm Religio Christiana. Quamvis enim Christiani obligentur carni ejusq̃ affectionibus continuò resistere, passiones edomare, voluptatem fugere, secundùm Spiritum operari, Cælestia præponere terrenis, piè ac devotè vivere, non solum amicos sed & inimicos diligere &c: &c: Quamvis præterea teneantur, intellectum suum in obsequium Fidei captivare, & Mysteria captum nostrum longè excedentia, firmissimè credere, ut exempli cau: de Trinitate Personarum in una Natura Divina, de Incarnatione DEI Filii, de Sacramentis, de Resurrectione mortuorum, de æternitate Gloriæ Cælestis & pænarum Inferni &c: &c. Non tamen certi ac securi esse possent de iis quæ sibi credenda & facienda sunt, ut salvi fiant; quidnam revera sit DEI Verbum, aut quis genuinus sensus ejus infallibiliter? Et quotiescunq̃ de æternæ Salutis aut perpetuæ infelicitatis puncto exoritur Controversia (ut contingit frequentissimè) dubii & anxii, quidnam arripiendum, hærrere, suoq̃ Spiritu privato aut Judiciò (quod quidam conscientia ac Fidei libertatem perversè appellant, quodvè in rebus etiam levioribus falli, experientiâ compertum est) niti deberent. Sicne DEUS Fideles Cultores suos derelinquere, &



re, & Religionem Christianam, in bivio anticipi, unde omnes in desperationis barathrum deturbari possunt, collocare voluisset?

16. Verbô, nisi quis nominatenus solùm Christianus videri, revera autem Judæus, vel Mahometanus, vel Ethnicus, aut deniq; atheus esse velit, fateri debet, dari præter Scripturam in Ecclesia Christi, per omnia ejus Sæcula, Viros assistentia Spiritûs S. præditos, qui nos, (signis de Cælo, aut aliis manifestis DEI notis sermonem eorum comprobantibus) de ipsa Scriptura quòd sit DEI Verbum, quænam Versio legitima, qui Libri canonici, quis sensus eorum, qui Textus revera clari, qui obscuro, & quomodo intelligendi, quid credendum aut agendum quoties exoritur Controversia? evidenter ac infallibiliter assecurare valeant.

17. Manet tantummodo quæstio, ubinam Viri ejusmodi & signa infallibilitatis defacto reperiuntur? Num in Ecclesia Romana Catholica; an verò in aliqua alia secta ex iis, quæ ab hac Ecclesia diffident? Respondeo itaq; nullibi nisi in Ecclesia Romana Catholica reperiri. Quod ipsum sic demonstro: Certum & indubitatum esse debet, hæc non haberi apud Lutheranos, Calvinianos, Mennistas, Syncretistas, Libertinos aut Pietistas, (idem à fortiori censendum de quibuscunq; aliis sectis) cum ipsimet profiteantur, se præter Scripturam, nullam externam infallibilem credendi Regulam, aut visibilem Controversiarum Judicem habere, aut admittere velle. Omnesq; fatentur, Ministros suos, in



suos, in iis, quæ ultra Scripturam proferunt, non esse infallibiles. Imo, tametsi nollent, fateri debent: nullum siquidem hujus infallibilitatis fundamentum, nec ulla vera miracula exhibere, nec ulla extrinsecas veræ Fidei notas, quibus omnino similes non habeat alia quæcunq; sibi opposita secta, monstrare possunt. Infero: Ergo certum & indubitatum est, ejusmodi Viros infallibiles, unà cum evidentibus infallibilitatis Signis ac Notis, in Ecclesia Romana Catholica haberi. Si enim certum est, hæc in Christianitate dari debere, ut Argumentis tam manifestis evicimus: & certum non dari alibi: Ergo proculdubio dantur in hac Ecclesia.

18. Porro memorati Viri sunt Concilia Generalia Episcoporum quale & tempore Apostolorum celebratum est, Act: 15. & Pontifex Romanus, utpote totius Ecclesiæ Rector & Doctor. Isti enim in Ecclesia Catholica, nomine DEI, quid credendum aut faciendum, definire solent, reliquis omnibus (nisi quis hæreticus fieri velit) acceptantibus. Et ideo communiter SS. Patres per tot Sæcula testantur, Conciliorum ejusmodi & Romanorum Pontificum Definitiones, esse infallibiles. Ex: cau: S. Basiliius 3tio Christi Sæculô natus, Epist: 28. ait: *Omnibus, qui suspecti sunt de Fide, proponantur Concilii Statuta, unde facile colligetur, sintne hæretici, an Catholici.* Et S. Augustinus circa An: Christi 390. lib. II. c. 2. contra Faustum, sic Pontificem Romanum alloquitur: *Tu es Regula Fidei, quidquid tibi adversatur, veritas non est.* Certè si in Ecclesia



eclesia Catholica hi non haberent infallibilitatem, tunc proculdubio nec alii, cum omnes iudicium suum, Doctrinae eorum submittant. Signa quoque & notae infallibiles, quod DEUS his assistat, dantur, & quidem adeo manifesta, ut, modo quis non ponat velamen super oculos mentis suae, pateant omnibus. Aliqua solum brevitate gratia profero.

19. *Primum Signum sunt Miracula, quae DEUS in Ecclesia Catholica, incessanter tot in locis, ad Fidelium preces, aut per Viros Apostolicos in confirmationem Doctrinae Catholicae, & Interpretationis Sacrarum Literarum per Concilia ac Romanos Pontifices fieri solitae, & quidem complura prorsus manifesta & Orbi nota, patrare consuevit. Quod autem vera Miracula poni nequeant in confirmationem Doctrinae falsae, sed per ea DEUS de Religione, in qua fiunt, testetur, quod sit vera, lumine rectae rationis notum est. Hinc & Nicodemus Joan: 3. v. 2. Scimus, quia à Deo venisti Magister, nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit DEUS cum eo.*

20. Indubitatum quoque esse debere, patrari defacto ejusmodi Miracula in Ecclesia Romana Catholica. sic declaratur: 1. Fateri cogitur quivis Christianus, quod Christus haec promiserit suis Fidelibus: *Qui credit in me, Opera, quae ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet. Joan: 14. v. 12.* Ubi igitur sunt? Manifestum, quod non apud Dissidentes. Ergo apud Catholicos: 2. Constat ea dari per experientiam physicam



plurimorum, qui prodigiosa DEI Beneficia in tot Ecclesiis percipientes, marmoreis eadem, aut argenteis, aureisque tabulis exarata, omnium notitiæ proponunt. Constat id ipsum ex communi tot dignissimorum Fide Virorum testimonio: tot Historicorum, quibus in aliis materiis vel ipsi assentiuntur Dissidentes, & ni facerent nullam prorsus Antiquitatis notitiam habere valerent: Tot piissimorum simulque doctissimorum hominum, in quos nulla fraudis aut erroris cadere potest suspicio: Tot Principum, non Ecclesiasticorum duntaxat, sed & Sæcularium, qui nullam prorsus mentiendi necessitatem habent: & quidem per omnia Christi Sæcula ad hunc usque diem, unanimi consensu & Relatione. Quod ipsum evidentiam moralem veritatis tantam facit, qua major in humanis haberi nequeat: quam nullus negare potest, nisi temerarius: quæ magis affecurat intellectum quam experientia physica: (facilius enim de iis, quæ oculis propriis vidimus, dubitamus, num videlicet sensus non fefellerit, quam quæ tantò nituntur Testimoniò) Quam evidentiam credibilitatis si DEUS in rebus Fidei falli permetteret nulla in Religione Christiana haberemus signa infallibilia: Quam proinde Salvator ipse ad præbendum assensum, sufficientem esse voluerat, inquiens ad Thomam: *Quia vidisti me Thoma, credidisti: Beati qui non viderunt & crediderunt. Joan. 20. v. 29.* Certè etiam Christi ipsius & Apostolorum Miracula non omnes illius temporis Fideles oculis spectaverant: verum aliis ex communi tan-



muni tantum prudentium ac piorum hominum relatione patebant. Et ideo arguebat Dominus eos, quia Prodigia sua omnino videre preterdebant: *Nisi Signa & Prodigia videritis non creditis* Joan: 4. v. 48.

21. Altera nota DEO & veritati propria, sunt innumeri pene per omnia Christi Sæcula ad hunc usque diem, Gloriosi in Ecclesia Catholica Martyres, qui Sangvine suo, Sacræ Scripturæ Interpretationem: & Doctrinam Fidei, quam Ecclesia Catholica per Pontifices Romanos & Concilia, suis tradere consuevit, non cessant comprobare. Et quidem homines ex omni Natione, Statu, ac Conditione: tot Sapientissimi & piissimi Viri, qui, non spe lucri temporalis aut vanæ gloriæ quæstu, sed puro DEI, veritatis, & Salutis Animarum amore permoti, voluntariè relictis Consanguineis & Amicis, Patriâ, Fortunæ & famæ bonis, in illas Mundi Plagas proficiscuntur; ubi ignoti, sine honore, sine commoditate, sine temporali solatio, in extrema degunt egestate; & mille inter labores ac pericula, vitam ducunt morte acerbiorē. Tandemque post diuturna tormenta, eandem, gaudentes quòd digni sint habiti pro nomine JESU contumeliam pati, profundunt. Qui non temerè, non ex passione prædominante, sed longa præmissa deliberatione: non coactè aut necessitate compulsi, sed liberrimè; & DEI proximique amore stimulati (juxta illud: *Nemo majorem charitatem habet, quàm qui dat animam suam pro Amicis suis*) ad talia se resolvunt, & in his

tanto



tanto tempore sponte sua perseverant; ac tandem Doctrinam Catholicam, quam prædicant, stupendâ patientiâ, & Sangvine suo consignant.

22. Quis adeo excæcatus, ut non videat, talia, taliq; modo, humanis viribûs fieri non posse? Quis sanæ mentis particellam habens non intelligit, hoc ipsius DEI Opus, & signum de Cælo esse. Possentne DEUS, qui summe bonus, summe misericors est, qui diligentes se diligit, permittere, ut tanta hominum piissimorum multitudo, qui non passione, non cupiditate, non desiderio boni alicujus temporalis, sed sui amore succensi, ad tot sese labores, ad tantas ærumnas & mortes, Ejus causâ resolverunt, in Fide à Salutis tramite aberraret, & Doctrinam falsam Sangvine suo confirmaret?

23. Tertium signum est Imperium in Dæmonia, quod Ecclesia Catholica exercet efficaciter, eadem ex obsessis tum hominum corporibus, tum Domiciliis ejiciendo, ut assiduâ comprobatur Experienciâ. Porro id per DEI potentiam & assistentiam fieri debere, nemo prudens dubitare potest: cum manifestè sit, quòd aliàs Dæmones humanas voces aut vires, parum curarent. Et ideo Christus ipse protestatus est, *se in digito DEI ejicere Dæmonia. Luc: 11. v. 20.* Præter dictas, sunt & aliæ complures Divinæ assistentiæ, adeoq; & infallibilitatis in Ecclesia Catholica Notæ: de quibus succinctè licet satis tamen dilucidè in prioribus Editionibus meis, e. c. *Theologia Controversa. Quis putasset. Siles silebis. Abgenürzte Fuchtel &c. tractavi.*

24. Obtru-



24. Obtrudunt hic Novatores: Si Ecclesia Catholica infallibilem habet DEI assistentiam, in ordine ad determinanda & definienda ea, quæ credenda ac facienda sunt, ut homo salvus fiat Cur igitur tot inter Theologos Catholicos Controversiæ? Cur tam diversæ expositiones Scripturæ apud Interpretes? Cur non determinat Ecclesia semel pro semper, quisnam literalis omnium & singulorum Textuum sensus? Respondeo *ad Primum*: Inter Theologos nostros nequaquam de Articulis Fidei Controversiam esse; (in his enim conveniunt omnes: qui autem dissidet, hic jam non ad Catholicos, sed Dissidentes refertur) verùm de iis duntaxat, quæ ab Ecclesia nondum definita & determinata, adeoque nec Fide Divina credenda sunt. Quod verò Definitiones suas interdum differat Ecclesia, justis hoc de causis facit, sic interpretando DEI mentem, qui etiam ipse non statim in Testamento veteri, Mysterium Trinitatis, multaq; alia clarè revelavit, sed id ipsum in novam usq; Legem distulit. Sicut & Christus Dominus, ejusq; Apostoli, quæ credenda sunt, non statim simul, sed successivè manifestârunt: ut patet in abrogatione Circumcisionis &c: Hinc & Salvator, Joan. 16. v. 12. *Adbuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò: cum autem venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Gravissimas quoque rationes habet Ecclesia, quòd interdum errores quorundam, non statim feriat anathemate: videlicet, tum, ut ipsimet errantes, cum tempore illuminati, eosdem



eosdem damnent reprobentque; tum ut circumstantiæ, ob quas, si damnarentur publicè, gravis inter homines perturbatio emergeret, interim pertranseat. Numquid non DEUS ipse *Dis-simulat peccata hominum propter penitentiam?*

25. *Ad secundum* dico: Apud sacrarum Literarum Interpretes, pariter non esse discrepantiam in iis, quæ ab Ecclesia Catholica definita sunt. Quòd verò in expositione nonnullorum Textuum, quinam non conveniant, id non credendorum diversitatem, aut tum varietatem doctrinarum moralium, quæ ex eadem Scriptura eruuntur; tum multipliciter sensus etiam literalis, qui sæpe in uno eodemque Textu continetur, denotat.

26. *Ad tertium* repono, Ecclesiam non explicare ac determinare sensum omnium simul & singularum Scripturæ Sententiarum; sed expectare donec necessitas Spiritualis id exigat. Et quidem 1. ob rationes ad *Primum* datas. 2. Quia complures ambigui Scripturæ Loci, jam antè per Definitiones in simili, sufficienter declarati sunt: igitur explanatione nova, nisi nova & omnino determinanda exoriatur Controversia, opus non est. 3. Catholici hoc non desiderant: Dissidentes verò, sicut nunc expositioni Catholicæ plurimorum Textuum, ita tunc declarationi universæ Scripturæ, refragarentur æque pervicaciter.

27. Sed jam concludo. In Christianitate præter sacrum Volumen, dari debent tum Viri, qui Verbum DEI infallibiliter nobis proponant &



nant & exponant, Fideiꝫ controversias dirimant; tum signa hujus infallibilitatis evidenter Divina: hæc autem in nulla reperiuntur Religione dissidente; ut luculenter hæctenus demonstratum est. Ergo certum & indubitatum manet talia in Romana Catholica Ecclesia haberi. Et per consequens certum, quod memoratæ superius Divinæ veritatis notæ, videlicet, Miracula, Martyria, Potestas in Dæmonia &c: &c. dentur ibidem: certum, quod hæc sufficientissimè valeant assecurare homines, circa ea quæ credenda & agenda sunt ad Salutem. Quæ enim alia?

28. Et hinc patet dilucidè, quàm securus, quàm certus & imperturbabilis esse possit vetus Catholicus de iis quæ sibi ad vitam consequendam æternam necessaria sunt. Si enim quærat ex eo in communi, quid credere & facere debes, ut salvus fias? Respondebit: Quidquid DEUS revelavit & præcepit. Quænam verò de facto revelavit aut præcepit; quodve Revelatio & Verbum ejus, sic & non aliter intelligendum, constat mihi ex Testimonio Ecclesiæ Catholicæ: porro Testimonium ejus à Deo proficisci, adeoque infallibile esse, patet ex tot signis & Notis, DEI assistentiam & Voluntatem indicantibus; sicut & tempore Apostolorum, patebat dicta & Scripta eorū esse DEI Verbū, evidenter.

29. Quodsi quærat in particulari: Quare tu credis e. c. DEUM esse Trinum in Personis & unum in Essentia? Aut dari Purgatorium? Respondebit: ideo, quia DEUS, qui nec falli nec fallere potest, utrumq; revelavit: (cui æqualis in



qualis in omnibus debetur Fides) Primum e. c. Mat: 28. v. 19. *Baptizantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Et 1. Joan: 5. v. 7. *Tres sunt qui Testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres unum sunt.* Secundum verò de Purgatorio, e. c. Mat: 5. v. 25. *Esto consentiens Adversario tuo citò, dum es in via, ne fortè in carcerem mittaris: Amen dico tibi, non exhibis inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Et 2. Macha: e. 12. v. 46. *Sancta & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare.* Sed unde tibi, quod hæc Scriptura sit DEI Verbum? hi omnes Libri, quos citasti, sunt Canonici? quòd præfati Textus sic intelligendi? Exem: cau: quòd in illo: *Tres sunt qui Testimonium dant &c.* tres Personæ, & non præcisè tria nomina; & quidem tres Personæ consubstantiales, seu ejusdem Substantiæ & Naturæ, intelligi debeant, cum de talibus expressè non fiat mentio in Scriptura? Respondebit: quia Ecclesia Catholica, seu Concilia Generalia unà cum Romano Pontifice id testantur. Ast unde nosti, Ecclesiam hæc errare non posse? Respondebit: id mihi certum est ex eo, quoniam DEUS illam hoc affirmantem, Signis ac Notis sibi propriis (ut superius vidimus) affecit: quibus testatur, eam suo Nomine, & se Authore, talia hominibus annuntiare.

30. Ea, quàm securi sunt Catholici circa ea, quæ credenda & facienda sunt, ut salvi fiant? Jam videmus, quomodo fluctuent, & nunc hanc nunc illam securitatis tabulam frustra attripientes, in desperationis barathrum abripiantur,



antur, quicumq; rejectâ Petri Naviculâ, in periculofissimo libertatis conscientiaë Pelago insolenter natâre non erubescunt.

## PUNCTUM SECUNDUM.

*Declarat, nullum Syncretistam, aut Libertino-Pietistam, aut quemcunq; alium Adiaphoristam insistendo opinioni suæ, scire, aut scire velle, quænam credere & operari debeat ad consequendam Salutem.*

### §. I.

*Memoratus in Præfatione Dominus Politicus, Syncretista & Libertino-Pietista (asserens, illa tantum necessario credenda & agenda esse, quæ clarè & expressè in Sacra Scriptura pro Conditione Beatitudinis adipiscendæ statuuntur; reliqua verò etiam ibidem contenta, adiaphora, nec ad vitam æternam necessaria esse) nec scit, nec scire vult, quid credere aut facere debeat, ut salvus fiat.*

Conceptione, Nativitate, vita & morte, de Baptismo & Eucharistia, de Remissione peccatorum, Resurrectione Mortuorum, Inferni pænis &c. &c. circa quæ æquè DEI Verbo debetur Fides, ac circa illa. Ergo Politicus ex pervicacia nec scit nec scire vult, quæ credere debeat.

37. *Demonstratur* 3. Juxta perniciosam opinionem hanc, neq; in SSsmam Trinitatem (qua tamen Fide principaliter à Judæis, Turcis, & Ethnicis distingvimur) credendum esset. Omnesq; quotquot fuere unquam in Religione Christiana, hæretici, Ariani, Manichæi, Macedonia-



cedoniani, Nestoriani, Eutychiani, Pelagiani &c: rectè & prout oportet ad Salutem, credidissent: omnes siquidem credebant in DEUM & Christum. Imo, quæcunque cogitabilis, perverfissima licèt hæresis, nullum ad vitam æternam poneret obicem. Omnis siquidem hæresis supponit Fidem in DEUM & Christum: nam qui non credit in DEUM Atheus est non Hæreticus: & qui non credit in Christum, est Judæus, Turca aut Ethnicus, non hæreticus. Porro id admittere, est contra solem loqui, & omnium Sæculorum judicio reluctari! Ergo est & nescire & nolle scire quidnam credendum sit ad Salutem.

38. *Demonstratur* 4. Si ad vitam consequendam sufficit credere in DEUM & Christum, reliqui autem Fidei Articuli non essent necessarii, sequeretur, omnia Concilia & Doctores, etiam primis Ecclesiæ Sæculis errasse, eò quòd memoratas hæreses damnaverint. Errasse omnes SS. Martyres, qui se pro variis Fidei Christianæ veritatibus, ad tormenta gravissima, ipsamque Mortem ab ejusmodi hæreticis sufferendam, resolverant. Errasse Apostolos, qui tantò Zelò & Studiò persecuti sunt hæreticos: e. c. errasse Paulum, cum ad Titum c. 3. scriberet: *Hæreticum hominem devita, sciens, quia subversus est, cum sit proprio judiciò condemnatus.* Errasse Petrum, 2. Epist: c. 2. dicentem: *In vobis erunt Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis &c:* Imo ipsam æternam Sapiëntiam (ad quod aurès tinniunt) Christum JESUM errasse, quòd nos commonefe-



monefecerit, dicens, Mat: 7. *Attendite vobis & falsis Prophetis, qui venient ad vos in vestimentis ovium intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Et Mat: 24. *Multi falsi Prophetæ surgent, & multas Animas decipient.* Non de Judæis profecto, aut Ethnicis hic sermo est, nam hos, Christiani Nominis hostes esse, manifestè sciebant Fideles: igitur de hæreticis loquitur, qui credunt in Christum, & sub hac Fide, velut Lupi sub pelle ovina, discerpunt alias Fidei veritates. Sed cur cavendi essent, quomodo dicendi lupi rapaces, quomodo deciperent Animas, si sufficeret ad salutem, credere in DEUM ac Christum, quod & ipsi faciunt?

39. *Demonstratur 5.* Hinc sequitur, Christum Dominum non rectè egisse, quòd complura Miracula in confirmationem Articulorum distinctorum à Fide in DEUM & Christum, patraverit. Exem: cau: Marci 2. v. 11. *Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet Potestatem in terra dimittendi peccata, ait Paralytico, tibi dico surge, tolle grabatum tuum, & vade in Domum tuam &c.* Ut quid enim Articuli Signis de Cælo confirmandi, quorum Fides non requiritur ad salutem? Ast nemo sanæ mentis talia Christo, ejusque Apostolis & successoribus eorum, imponere potest: Ergo nec dicere, quòd credere in DEUM & Christum ad vitam sufficiat.

40. Opponunt Adversarii, scriptum esse: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum DEUM verum, & quem misisti JESUM Christum.* Joan: 17. v. 3. Sed respondeo, neminem ambigere, hæc, & quidem



& quidem ante omnia, cognoscenda ac credenda esse: verum non tantum hæc, sed & reliqua à Deo revelata, ut patet ex aliis Scripturæ locis. Numquid non irrestrictè de universo Evangelio dicitur Marci 16. v. 16. *Predicate Evangelium, qui crediderit salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur?* Altera Domini Politici pars de vita honesta & iis agendis, quæ in Scriptura &c. sequenti Lectione discutienda. Sit itaque.

## SECTIO SECUNDA.

*Qui dicit sufficere ad vitam eternam, modo quis credat & faciat ea, quæ clarè in scriptura S. pro conditione consequende salutis ponuntur, aut omittat, quæ ibidè sub interminatione damnationis æternæ prohibentur: reliqua autem contenta in S. Codice acceptet quidè, sed eo sensu, què verū esse existimat; is ex perveracità nec scit nec scire vult, quid credere & facere debeat, ut salvus fiat.*

41. Commentum hoc Libertino-Pietisticū, quòd in præfati expugnandum suscipio, proponit aliquot in locis D. Politicus præfertim pag. 19 num: 23. & p. 23. n. 27. sicut & p. 5. n. 11. 12. 13. 14. 15. At falsitas eius patebit ex rationibus sequentibus manifestè. Itaque.

42. *Demonstratur* 1. Certum & evidens est, non solum illa necessariò credenda & facienda esse, quibus clarè in scriptura talis appromittitur, aut si omittantur, damnatio æterna intimatur: sed



tur: sed plurima quoque alia à Deo revelata ac præcepta, tamen expresse non addatur: Crede & fac hoc, aut omittit illud, si vis salvus fieri: vel quid simile. Ergo Politicus iste manifestæ veritati resistens, nescit, nec scire vult, quid sibi faciendū aut credendū ut salvus fiat. Declaratur

31. Prædictō Opusculō, vera & unicè salvifica Religio Dissidentium in Prussia & Polonia &c: nuncupato, quod Politicus quidem Anonymus, Editionibus meis, haud paucis Protestantibus applaudentibus, nuper opposuit, novum videtur, & hætenus inauditum Religionis Systema fabricare. Quod non tantum Religioni Catholicæ, (quæ in Fide vera & integra, atque bonorum Operum exercitio consistit) sed & principali Dissidentium doctrinæ, (quæ postpositis Operibus, soli Fidei Justificationem & salutem tribuit, è diametro refragatur. Toto siquidem scriptō quoties in Persona propria loquitur, videlicet à pag: 1. ad 8. & deinde à pag: 17. ad usq̃ exitum, nec mentionem Fidei fecerat. Sed veram Religionem in hoc præcisè constituit, si quis faciat & omittat, quæ ad salutem consequendam facienda & omittenda præscribuntur. Sic enim loquitur e. c. num: 1. *Vera Religio est id, per quod homo, si istud operetur, damnationem evadit, & æternæ Beatitudinis sit particeps. Et numero 2. Veram Religionem habet ille, qui facit quod ipsa faciendum, & omittit quod ipsa omittendum indicat. Et num: 5. Omnino necesse est, ut quis sciat, quæ sit vera Religio, hoc est, quid homo facturus & omisurus sit, ut salvus fiat &c.*



32. His perpensis, sentire possemus, Dominum Politicum, parum curare Fidem Christianam ipsisque Infidelibus, præsertim verò Mahometanis nimis favere. Siquidem & illi dicunt homines omnes in suis sectis & Legibus, sive sint Christiani, sive Judæi, aut Saraceni &c: modò benè vivant, & faciant ea, quæ sibi præscripta sunt, & quæ facienda existimant, ut salvi fiant, salvari posse. Ac proinde atrocissimè persequuntur eos, qui de Fide disputant. Quod ipsum facit & Dominus Politicus, ut patet ex Satyrica sua pag: 19. & 23. in Disputationes ac Editiones Polemicas, veluti de rebus inutilibus, & ad salutem prorsus non necessariis procedentes, Invectione. Suspicionem quoque auget, quòd, cùm Christiani Authores soleant Annum Christi suis præfigere Lucubrationibus, ipse potiùs *Annum secundum post Executionem Thorunensem* (ad imitationem eorum, qui Annos ab expugnatione Jerosolimæ, numerant) Opusculo suo opposuerit.

33. Quia tamen sacram novi Testamenti Scripturam tanquam DEI Verbum admittit pag: 20. atque protestatur pag; 22. dicens: *Ego autem loquor de Christianis, non de Ethnicis*: Quoniam præterea, saltem innexo Locorum sacri Codicis Catalogo, aliquot Textus de Fide in DEUM & Christum producit: hinc censeo, virum, nequaquam ita Syncretizare, ut vel ipsis Ethnicis, Judæis & Mahometanis; sic tamen, ut omnibus Hæreticis, quotquot in Christianitate, etiam primitivâ Ecclesiâ fuere, salutem appingat sempiternam.



piternam. Et ideo pag: 4. num: 6. ait: *Nemo nisi DEUS potest salvare aut damnare. Unus est Legislator, qui salvare & damnare potest: quis tu es, qui alium judicas?* Jaco. 4. v. 12. Quibus verbis omnia etiam primitivæ Ecclesiæ Concilia, quæ virulentissimos illos hæreticos olim damnârunt (puta sanô sensû, id est, declarârunt, eodém verbo Divino & veritati, adeoq; & salutis suæ æternæ refragari) & consequenter Paulum ipsum hac significatione damnantem, Gal: 5. v. 2. *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Et ad Tit: 3. v. 10. *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devota &c. tacitè reprehendit.* Quamobrem concludens sacrarum Sententiarum Catalogum, talem subjungit Synopsim, quæ cunctis favere potest hæreticis, inquit pag: 16. *Salvandi sunt, qui DEO vivunt in Christo JESU.* Rom: 6. *Aut qui DEI voluntatem faciunt* I Joan: 2. *Aut qui aliis faciunt, quod sibi fieri volunt* Mat: 7.

34. Verbo, totum commentitiæ Religionis suæ Systema, studiosa perplexitate involutum, in hoc revera consistit: Ut salvus fias, sufficit credere in DEUM & Christum, nec non ea operari, quæ clarè & expressè ad vitam consequendam æternam, requirit Scriptura. Vel, (si fortè per *facere* etiam *credere*, intellexit) quòd sufficiat ad Salutem, si quis ea credat & faciat, aut omittat, quæ expressè sub conditione assequendæ salutis credenda & facienda; aut sub interminatione damnationis æternæ, omittenda proponuntur in Scriptura. Sed utrumque, Deo favente, convellemus in præfenti. SE-



## SECTIO PRIMA

*Qui dicit, ad vitam æternam sufficere, modò quis credat in Deum & Christũ, ac præterea honestè & sine querela vivat, aut faciat, quæ clarè in sacris Literis, ad hanc consequendam præcipiuntur, is ob pervicaciam suam, nec scit, nec scire vult, quid credere & facere debeat, ut salvus fiat: consequenter est extra viam Salutis.*

35. *Demonstratur 1.* Merè pro libito, & absq̃ ullo fundamento, adeoque temerè adstruitur, sufficere ad Salutem, ut quis credat in DEUM & Christum: cùm evidens sit, multò plura in sacris Literis à Deo revelata esse. Quò igitur fundamentò Fides in DEUM & Christum exigitur eodè & cætera æquè clarè revelata: & qua fronte dicitur non requiri aliorum; Fidem ad Salutem, eadem quis asserere posset, nec Fidem in Christum. Ergo qui fingit talia, is ex mera pertinacia nec scit, nec scire vult, quid credere debeat, ut salvus fiat.

36. *Demonstratur 2.* Certum & evidens est, multò plures veritates, præter DEI & Christi existentiam, apertè revelata esse, e & de Spiritu S. de Christo assertum: Totum quidquid in sacris Literis revelatum & præceptum esse constat nobis, obligamur sub amissione æternæ Salutis, credere ac facere, tametsi hujus obligationis mentio non fiat penes singula. Tum quia, ipsummet rectæ rationis lumen cuivis indicat,



dicat, Deo in nulla re, sine gravissima injuria ejus (quæ proculdubio Inferni pœnas promeretur) Fidem negari, aut grave Mandatum suum violari posse. Tum quia in ipsa quoque Scriptura tot dantur Textus perspicui, quibûs jubemur omnia in communi credere & facere quæ DEUS revelavit & mandavit, ut salutem apprehēdamus. Licet igitur non penes singula, vitæ aut interitûs fiat mentio, attamen hæc necessariò credenda atque facienda sunt. Exem: cau: Joan: 5. v. 24. inquit Dominus: *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui me misit, habet vitam æternam.* Et Mat: 19. v. 16. *Si vis ad vitam ingredi serva Mandata.* En! omne DEI verbum credendum, omnia servanda Mandata (tametsi singulis salutis aut damnationis conditio non apponitur) ut vitam consequaris sempiternam.

43. *Demonstratur* 2. Non ea duntaxat, quæ per se clarè ac dilucidè, sed & quæ obscuriùs revelata aut præcepta sunt in Scriptura credi & impleri debent: aliunde siquidem elucidari possunt ac solent, sufficientissimè. Ergo nescit D. Politicus, quid sibi agendum, ut salvus fiat. Declaratur assertum: Tum quia, juxta lumen rectæ rationis, quidquid DEUS dicit, & præcipit, hoc credere & facere (licet interim implicitè, & mox ubi explanatur, etiam explicitè) tenemur. Tum quia idiptum Sacer Codex irrefrictè testatur de omnibus in Christi Evangelio & Doctrina contentis: e. c. Mat: 28. v. 10. *Docete servare omnia, quaecunq; mandavi vobis.* Et Marci 16. v. 16. *Præ-*



v. 16. *Prædicate Evangelium &c: qui non crediderit, condemnabitur.* Hinc vel ipse Politicus ( in memor eorum, quæ antè dixerat, inquit pag: 11. *Damnabuntur, qui non credunt Evangelio. Marci 16.*

44. Sed quomodo nos obligare potest DEUS ( reponit Politicus ) ad ea credenda aut facienda determinatè, quorum sensus in sacris Literis est ambiguus? Respondeo: obligat ad ea, quæ tametsi per se non sint clara, clarificantur tamen per infallibiles scripturæ Interpretes & Judices Controversiarum. Quos dari in Ecclesia Christi, & acceptari debere; imò ideo multa in Scriptura obscurius à Spiritu S. inspirata fuisse, ut ad illos recursus fiat, ( cum sine iis nequidem de ipsa Scriptura, quòd sit DEI verbū, infallibilitas haberi queat ) Puncto primò à num 6. plus quàm satis evicimus. Ut quid enim obscura ex instinctu Spiritūs S. scripsissent Apostoli, si nobis Interpretes, infallibili assistentia DEI præditi, dandi non fecissent? Hæc profecto ad sola fundanda jurgia & dissidia prodesse.

45. Exclamat quidem hic D. Politicus pag: 18. dicens: *Scripturam sacram claritate omnia Concilia & Bullas Pontificias longè excedere, ita ut ista in comparatione illius nihil nisi tenebræ sint &c:* Sed in vanum: Nam ex passione loquitur, & manifestè indicat, se Conciliorum Decreta & Pontificum Bullas aut prorsus non legisse, aut obiter tantum & perfunctoriè libasse. In his siquidem, quidquid credendum est, ita clarè exponitur, ut nemo nisi insolenter dubitare queat. Verum etsi dubium emergeret, hoc deponeretur facilimè, cum



limè, cùm habeamus, quem possimus confule-  
re, Romanum videlicet Pontificem. Deinde i-  
psemet Politicus pag: 5. fatetur: *Multa in scriptu-  
ra non esse clara, nec eorum sensum ab omnibus perci-  
pi posse.* Pag verò 12. parum memor eorum, quæ  
dixerat, vult scripturam clarissimam, & cunctis  
perceptibilem esse.

46. *Demonstratur* 3. D. Politicus in suo Cre-  
dendorum Regestro adducit Scripturæ Textus  
etiam obscuros, & ambiguum sensum præferen-  
tes; quos tamen arbitratur esse perspicuos. Er-  
go nescit, aut potius stimulante pertinacia, non  
vult scire, quid revera credendum ac facien-  
dum sit. Exemp: causâ, salvi fiunt (inquit ille)  
*Qui abnegat semetipsum. Mat 16. v. 24. Qui rever-  
tuntur, & fiunt sicut parvuli. Mat: 18. v. 3. Qui spe-  
ctant ad virgines prudentes. Mat: 25. v. 10. Servi boni  
& fideles, qui concreditó sibi Talento fenerati sunt  
&c: Mat: 25. v. 23. Qui seminat in Spiritu. Gal: 6.  
v. 8. Qui sanctificantur per Fidem in Christum. Act: 26.  
v: 18. Damnandi verò sunt e. c. Zizania Mat  
13. v. 30. id est, Filii nequitia. v. 38. Qui vitam suam  
servare vult. Mat: 16. v. 25. Inimici Crucis, quorum  
DEUS venter est. Philip: 3. v. 18. Qui amat Mundum  
& quidquid in Mundo est. 1. Joan: 2. v 19. &c: &c.*

47. Hæc & similia à D. Politico inducta,  
multa explicatione indigent, & quidem evidē-  
ter certa, ne aliàs in confuso tantum aliquid de  
Fide & bonis operibus, à ærem verberando, lo-  
quamur, sed verè ac certò sciamus, quid cre-  
dere, quid operari debeat homo, ut vitam asse-  
quatur sempiternam. Quid, quæso, est, *Abne-  
gare semet-*



*gare semetipsum?* Num hinc illi quoque denotantur, qui relictis Mundi curis vitam ducunt Monasticam? Quid est, *fieri sicut Parvuli*? An in simplicitate ac humilitate Christiana iudicium proprium, iudicio Ecclesiae Catholicae submitendum? Quid est, *spectare ad Virgines prudentes*? Quid defectus olei significat? Quid est *fenerari*? Licetne Christianis usuram exercere? Quid *seminare in Spiritu*? Quid *sanctificari per Fidem*? An per solam? Et, si sola sanctificat, cur adjecit Politicus pag: 14. *Damnandus est, qui Fidem habet sine operibus.* Jac: 2. v. 14 Quid sunt *Zizania & Fittii nequitiae*? Num haeretici? num Syncretistae? aut Pietistae? Quomodo damnandus ille, *Qui vitam suam vult servare?* aut *Qui amat ea, quae in Mundo sunt?* Numquid non tenemur servare vitam, amare Proximum, etiam inimicum? Quid est *ventrem pro DEO habere*? Num idem, quod *Jejunia Ecclesiastica non observare*? Verbo D. Politicus existiman, Testimonia illa Scripturae quae magna expositione indigent, esse clarissima, scit quidem speculativè sermocinari de rebus Fidei, nequaquam tamen credere aut operari prout oportet.

4.8. *Demonstratur 4.* Textus quoque claros in medium producit, verum eosdem pro libito suo perversè & obscurissimè exponit. Ergo non vult scire, quid credendum & faciendum sit, ut salvus fiat. Exem: cau: pag 9 illud Mat: 10. v. 39. *Qui perdidit Animam suam propter me, inveniet eam; Et: qui invenit Animam suam, perdit eam.* Ubi Christus manifestè de vita pro Nomine suo danda, dum



da, dum id Spiritualis exigit necessitas, loquitur: Sic interpretatur ille: *Qui in proprietate vivit, damnabitur, qui non vivit in proprietate salvabitur.* Quid est hoc? En! quàm oblicurè & per-versè exponit etiam clarissima?

49. *Demonstratur 5.* Adducit præterea Sententias manifestas quidem, sed universales: (qualibûs magna ex parte referta est Scriptura) quænam verò particularia sub terminis comprehendantur universalibus, non adducit, nec certò scire potest, nisi recursum ad eos faciat, quibus hac in parte, Spiritûs S. infallibilitas promissa & concessa est. Certè, quoniam actiones nostræ circa singularia versantur, nemo operari poterit, quæ oportet, nisi securus sit, quidnam sub universalibus Scripturæ Propositionibus contineatur.

50. Res pateat in Exemplo. Affert D. Politicus in suo faciendorum ad vitam æternam Regestro, complura ejusmodi: e. c. *Prædicite Evangelium, qui crediderit & Baptizatus fuerit, salvus vit.* Marci 16. v. 16. Porro sub universali Prædicationis Evangelicæ termino continetur verbum DEI tam illud, quod Apostoli scripserunt calamo, quàm quod ore prædicârunt, nobisq; tradiderunt, ac proinde Traditio Apostolica nuncupatur. Igitur credendæ quoque & acceptandæ sunt Traditiones Apostolicæ: ut faciunt Catholici. Idem censendum de illa Sententia: *Salvandi, qui Verbum DEI audiunt & custodiunt.* Luc. 11. v. 28. aliisque similibus. *Salvandi sunt, (inquit ille) qui penitentiam agunt, & ad DEUM convertuntur,*



*zuntur, & vera Pœnitentia opera faciunt. Act: 26. v. 20.*  
 Aft pœnitentia & vera pœnitentiæ opera, termini sunt univerfales. Continent autem sub fe, tum dolorem fupernaturalem de peccatis commiffis, atque propositum fincerum de non committendis; tum Confessionem veram delictorum, & Abfolutionem à vero Presbytero (cui Potestás hæc ritè, prout olim Apoftolis: *Accipite Spiritum S. quorum remiferitis peccata, remittuntur eis &c. Joan: 20. v. 22.* Collata est) impertiendam. Præterea tenetur Pœnitens occasionem peccandi vitare proximam, confvetudines frangere pravas, injuftè accepta restituere, damna refarcire &c. *Salvandi dicuntur Pauperes Spiritu Mat 5.* Verùm hîc comprehenduntur & illi, qui abdicatis per vota Religiofa Mundi hujus Bonis, paupertatem, ut liberiùs DEO vacare poffint, amplectuntur voluntariam. *Salvandi justî: & qui in patientia per bona opera vitam querunt æternam. Rom. 2.* Quæ verba, innumera denotant etiam bona opera ejusmodi, qualia Syncretiftæ & Pietiftæ detestantur. *Salvandi, qui manducant Christi Carnem, & bibunt ejus Sanguinem. Joan: 6. v. 54.* Aft ut hoc agere valeant homines, veros & Potestate consecrandi præditos, habere debent Presbyteros. Tenentur quoq; credere, verè & realiter adesse Corpus Christi ac Sanguinem in Eucharistia. *Damnandi, qui sunt ex contentione, & non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati. Rom: 2. v. 8.* Sed tales sunt, qui Veritati Religionis Catholicæ, tam luculenter, tam dilucidè sibi propositæ, refragantur pervicaciter. *Damnandi, qui post acce-*



post acceptam notitiam veritatis, voluntariè peccant. Hebræ. 10. v. 26. Verùm sub his terminis universalibus potissimum censendi sunt contineri, qui post acceptam in tot Editionibus nostris, veritatis Catholicæ notitiam, licèt Lutherò aut Calvino jam non tantopere adhærescant, novum nihilominus ex mera pertinacia committunt peccatum: dum Syncretistas aut Libertino-Pietistas agere, quàm ad Ecclesiæ Catholicæ Gremium redire, præeligunt.

51. Verbo, D. Politicus nescit ea, quæ in universalibus Scripturæ locis, à se citatis, continentur: (certa siquidem horum notitia, nulli, nisi in Ecclesia Catholica haberi potest, ut constat ex Puncto primo: & licèt ipse hos, aliosque similes Textus interpretaretur, fateri deberet, expositionem suam non esse infallibilem) Ergo, insistendo opinioni suæ, nec scit certò, nec scire vult, quidnam credendum aut faciendum, ut salvus fiat.

52. Demonstratur 6. Consultò quoq; omisit, Textus Scripturæ hujusmodi, Catalogo suo annectere, ex quibus facile colligere posset, omnia sibi reliqua quæ observant Catholici, observanda esse, ut salvus fiat. Igitur quid facere debeat ad Salutem, scire non vult. Exem: cau: Testimonium illud, Mat: 18. v. 17. *Si non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Et ad Hebræ: 13. v. 7. 17. *Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum DEI: quorum intuentes exitum conversationis, imitamini Fidem. Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis, ipsi enim vigi-  
quasi ratio-*



*quasi rationem reddituri pro Animabus vestris. Et v. g. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Et Rom: 13. v. 2. Qui resistit Potestati, DEI ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Unde liquet, Lutherum cum suis Affectis, obligatum fuisse, audire Ecclesiam Catholicam, ejusque Præpositis & Mandatis (quibus restitit) subesse, eorum imitari Fidem; atq; Interpretationi Scripturarum, judicium submittere, nec doctrinis peregrini abduci debuisse &c: Consequenter & tota Multitudo, quæ Lutherum secuta, omnesq; Sectæ, quotquot exinde emerlerunt, tenentur id facere, & Ecclesiæ Catholicæ in omnibus obedire, ac proinde ad eam reverti, ut salvæ fiant.

53. *Demonstratur 7. D. Politicus toto Systemate suo, eò collimat, ut Articulos omnes, de quibus Catholicos inter & Protestantes agitur Controversia, persvadeat esse accidentales nec omnino credendos, ut quis salutem consequatur sempiternam. Ac proinde, cuncta scripturæ Testimonia, quæ adversus Dissidentes proferimus, statuit merè pro libitu, obscura esse & ambigua. Porro id apertè falsum esse, adeoque Virum hunc scire nolle, quid credere debeat, sic declaro. Quo fundamentò? aut qua fronte, obscurus dicitur Locus ille: Rogabo Patrem, & dabit vobis Spiritum veritatis, qui maneat vobiscum in aeternum. Joan. 14. v. 16. Et Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem Saeculi. Mat: 28. v. 20. Unde probamus, etiam post Apostolorum tempora, Scripturæ Interpretes*



pretes assistentiâ DEI præditos, & infallibilem  
 Controversiarum Judicem, dari semper in Ec-  
 clesia. Aut ille: *Itaq; Fratres, state, & tenete Tra-*  
*ditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per E-*  
*pistolam nostram. 2. Thes: 2. v. 15. Quô Traditio-*  
*nes Apostolicas, adeoque totum Ecclesiæ Ca-*  
*tholicæ Ordinem, observandum esse indigita-*  
*mus. Aut ille: Tu es Petrus, & super hanc Petram*  
*edificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claves Regni*  
*Cælorum, quidquid solveris super terram, erit solu-*  
*tum & in Cælis. Mat: 16. v. 18. 19. Quô, Petro, (&*  
*consequenter Successoribus suis Romanis Pon-*  
*tificibus) universale Ecclesiæ Regimen traditum*  
*esse ostendimus. Aut ille: Hoc est Corpus meum*  
*quod pro vobis tradetur. Luc: 22. v. 10. Quô in Eu-*  
*charistia realem Christi præsentiam absque im-*  
*panatione, demonstramus. Aut ille: Accipite*  
*Spiritum S. quorum remisistis peccata, remittuntur*  
*eis &c. Joan: 20. v. 22. Et de Cæna ultima: Hoc*  
*facite in meam commemorationem. Luc: 22. v. 10. Quô,*  
*Potestatem Presbyteralem, non toti Fidelium*  
*cætui, sed selectis duntaxat viris concessam esse,*  
*evincimus. Aut ille: Esto consentiens Adver-*  
*sario tuo citò dum es in via, ne fortè in carcerem*  
*mittaris: Amen dico tibi non exibis inde, donec reddas*  
*novissimum quadrantem. Mat: 5. v. 25. Quô Purga-*  
*torii pænas manifestamus. Aut ille de Jacobo*  
*moriente: Angelus qui eruit me de cunctis malis, be-*  
*nedicat pueris istis, & invocetur super eos Nomen me-*  
*um, Nomina quoque Patrum meorum, Abraham &*  
*Isaac, ut crescant in multitudinem. Gen: 48. v. 15.*  
 Quô invocationem Sanctorum promovemus.



54. Quâ inquam fronte, quo fundamento, hæc & innumera similia, obſcura & controverſa, adeoque non neceſſariò credenda ſunt? Num quòd Novatores, aliter ea explicando, moveant Controverſiam? Sed hæc ratio eſt nulla: Si enim Scriptura per hoc evaderet obſcura & ambigua, quòd ab hac vel illa Sciffione, diverſimodè exponatur, ſequeretur, nullum ſacri Codicis Locum eſſe clarum: cùm nullus fere ſit, quem non ſecta aliqua, perversè interpretando, pro ſua opinione detorſiſſet. Quin imo de toto dubitandum eſſet Evangelio, cùm etiam iſtud à Manichæis & Alogianis fuerit olim oppugnatum. An quia nonnulli Textus, ab ipſiſmet Catholicis multifariam exponuntur Interpretibus? Aſt dictum jam ſuperiùs, id in Sententiis per ſe claris, ideo fieri, tum quòd perſæpe idem numerò Textus facer, multiplicem ſenſum Literalem, abſq; ulla contradictione habeat: tum quòd complures doctrinæ morales ex eodem eruantur. Tum quia certæ voces non requiruntur in memoratis Scripturæ Locis, e. c. *Primatus, Transubſtantiatio, Purgatorium* &c: Verùm homo prudens non de voce, ſed de re agit in præſenti. Et his perpenſis, ſi Politicus præfatam veritatem Catholicam nondum agnoſcit, ſaltem de claritate Textuum, quos adduximus, dubitare cogitur. Ergo denuo neſcit, & dum ſuo errori adhæret obſtinatè, non vult ſcire, quid faciendum ut ſalvus fiat.

55. *Demonſtratur 8.* Si hæc duntaxat credenda & agenda ſunt, quæ clarè & expreſſè ſacris  
Literis



Literis exarata habentur: Ergo non requiritur ad salutem, credere DEUM unum in Natura & Trinum in Personis esse; aut Filium DEI esse ejusdem numerô Substantiæ cum Patre, seu consubstantialem Patri: hi siquidem termini, *natura, Substantia, Persona, consubstantialis* &c: ubi de Deo agitur non reperiuntur expressè in Scriptura. Atqui hoc nullus verus Christianus admittere potest: cùm manifestus sit Arianismus qui ex Ditionibus Regni Poloniæ sub pæna capitis proscriptus est. Quæ igitur fronte Politicus errorem suum, in ipso Opusculi frontispicio, *Veram & unicè salvificam Christianam Religionem in Polonia & Prussia*, appellare non veretur? Verbô, scire non vult, quid credere aut facere debeat.

§. 2.

*Qui dicit, satis esse ad Salutem, modò quis credat Articulos in Symbolo, Apostolorum contentos; reliqua autem esse adiaphora, & Scholasticorum concertationibus relinquenda, is nec scit nec scire vult, quid credere aut facere debeat ut salvus fiat.*

56. *Demonstratur 1.* Hoc arbitrariè & absq; ullo persuasivo fundamento, merè pro libito, adeoque temerè adstruitur. Quocunque enim fundamento evincitur, Articulos Symbolô Apostolicô comprehensos, necessariò credendos esse, eodem demonstratur, multa præterea alia, e. c. de Sacramentis, ut Baptismo, Eucharistia &c: &c: credi debere. Et qua temeritate, hæc



à necessitate credendi excluduntur, eâdem & illa excludi possent. Igitur qui id dicit, nec scit nec scire vult quid revera credendū, ut salvus fiat.

57. *Demonstratur 2.* Manifestum est credi debere, quod Scripturâ sacra sit DEI Verbum: hæc siquidem reliquorum credendorum fundamentum est. Porro nihil de S. Scriptura in Symbolo Apostolorum, imo nec ipsum Symbolū, prout sonat, expressè habetur in Scriptura. Ergo &c.

58. *Demonstratur 3.* Certum & evidens est, multas præterea veritates, quæ vel prorsus non exprimuntur, vel non clarè in Symbolo hoc, credendas esse, ut de Baptismo & Eucharistia, de Retributione bonorum, & pæna malorum operum, de Ecclesia audienda &c. &c. Siquidem hæc pariter revelatæ & præceptæ sunt à Deo, cui in nulla materia, absque injuria ejus gravissima, Fides negari potest. Ergo, qui oppositum dicit, obstinatè nescit, aut scire non vult quid credere aut agere debeat, ut salvus fiat.

59. *Demonstratur 4.* Indubitatum, nec ab ullo Christiano prudenter negabile est id, quod Christus Dominus disertè enuntiavit, quod Apostoli docuerunt, quod omnes Ecclesiæ etiam Primitivæ Doctores, omnia Concilia statuerunt, in quo vel ipsi Sectarii cum Ecclesia Catholica conveniunt. Atqui omnes hi enuntiârunt & docuerunt, præter Symbolum Apostolorum, alia quoque credenda esse ab eo, qui vult salvus fieri. Christus enim ait: *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in Nomine Patris & Filii & Spiritûs S. docentes eos servare omnia: quaecunque mandavi vobis.*



*vi vobis. Mat: 28. v. 19. 20. En! omnia, quæ mandavit Dominus, quæ Apostoli prædicârunt, & non tantùm quæ in Symbolo habentur, observanda, adeoque & credenda sunt. Et iterum: Qui solverit unum de Mandatis istis minimis, minimus vocabitur in Regno Cælorum. Mat: 5. Porro minimus in præsentis idem est, ac indignus Regnô Cælorum. Hinc vel ipse Politicus noster pag: 8. damnandum illum asserit, Qui solverit unum de Mandatis istis minimis, & sic docuerit homines. Porro Mandata DEI non solum de iis dantur, quæ facienda, sed & quæ credenda, sunt. Plus igitur credendum, quàm habetur in Symbolo.*

60. Similiter docent Apostoli: Exem: cau: S. Paulus contra Galatas, qui Symbolum Apostolorum acceptaverunt, Sententiam æternæ Damnationis pronuntiat, si præterea Doctrinam de abrogatione Circumcisionis, (de qua nihil in Symbolo) non reciperent, inquiens: *Quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Gal: 1.* Et S. Jacobus c. 2. inquit: *Qui in uno delinquit, factus est omnium reus.* Ergo etiamsi quis contenta in Symbolo, credat, si tamen vel unum præterea, quod sibi constat revelatum aut præceptum esse, credere aut facere nolit, reus est pænæ æternæ.

61. Idem professi sunt semper omnes etiam antiquissimi Doctores. Exem: cau: Augustinus contra Faustum lib: 13 c. 3. ait: *Qui in Evangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potius quàm Evangelio creditis.* Et Athanasius in suo Symbolo docet: *Quicumque vult salvus esse, ante*



omnia opus est, ut teneat Catholicam Fidem, quam nisi quisq; integram, inviolatamq; servaverit, absq; dubio in eternum peribit. Quamvis autem ipse in Symbolo hoc Fidem Catholicam non adæquatè integram descripserit, sed tantum duntaxat, quantum protunc contra Arianos exprimendum requirebatur, plura nihilominus in isto, quam in Apostolorum Symbolo reperiuntur. Exem: cau: Unam esse DEI Naturam, tres autem Personas, equalis gloria, & coeternæ Majestatis, ejusdem Omnipotentia, immensitatis, aternitatis &c: Filium esse à Patre genitum ab aeterno, non creatum. Christum esse perfectum DEUM & perfectum Hominem ex Anima rationali & humana Carne subsistentem: Unum, non confusione Substantia, sed unitate Persona. Qui bona egerunt ibunt in Vitam aeternam, qui verò mala in ignem aeternum. Idem statuerunt & Concilia antiquissima, quæ tot Hæreses eò quòd præter Symbolum Apostolorum, aliis Veritatibus à Deo revelatis acquiescere noluerint pervicaciter, Anathemate percussere. E. c. Pelagianos, qui necessitatem Divinæ Gratia internæ, & peccatum Originale negabant: Nestorianos, qui duas in Christo Personas adstruebant: Macedonianos, qui Spiritum Sanctum, minorem esse Filio, volebant: Novatianos, qui lapsos, ad pænitentiam admittere recusabant: &c. &c.

62. Tandem vel ipsi, quotquot fuere Sectarii, graves semper motus de iis excitabant, quæ hoc Symbolo clarè exarata non habentur. Quæ non agitata sunt Lutheranos inter & Calvinistas? Puritanos & Protestantes ac Indifferentes in Anglia?



Anglia? Inter Armenianos & Gomari rigidi Calvinistæ sequaces in Batavia? Alibi inter Confessionistas & Pietistas? tametsi omnes admittant Symbolum Apostolorum. Ipsi quoque Syncretistæ ac Libertini (ut sperandum) refragentur illis, qui e. c. Infernum non omnibus impænitentibus constitutum esse, (quamvis Symbolum crederent) aut Dæmones aliquando ad Cælestem Gloriam perventuros, cum Mahometanis assererent. Falsitas igitur plus quàm palmaris est, Fidem & professionem Symboli Apostolici ad Salutem consequendam sufficere.

63. Ast obtrudunt Syncretistæ: Numquid non reperiuntur inter Christianos, homines ejusmodi, qui præter Symbolum plura credenda nec sciunt, nec percipiunt? Hinc omnes damnandi? Respondeo: Quicumque rudis, alia præter memoratum Symbolum credenda, invincibiliter ignorat; si tamen ea non rejiciat pervicaciter, sed ita dispositus sit, ut libens etiam hæc crederet, modo sufficienter proponantur sibi esse revelata; interim autem credat universaliter omnia reliqua, quæcumque DEUS revelavit, & per Ecclesiam suam credenda proposuit, salvari potest. Nam homo talis assentitur DEO in omnibus, videlicet explicitè in iis, quæ, constat sibi revelata esse; implicitè in reliquis. Verùm Syncretista aut Libertino-Pietista, qui privato judicio & Spiritui suo adhærens, præter Symboli contenta, alia credere non vult, eò quòd existimet, res minoris momenti esse; quamvis sibi constet, sive ex Scriptura, sive ex Ecclesiæ



Ecclesiæ Catholicæ Testimonio ( quodipsum omnibus ritè se reflectentibus, tot Notæ & Signa de Cælo manifestant, esse Divinum ) quòd sufficienter sint revelata: Aut qui dubitat, sint- nè credenda an non? nec tamen sedulò inquirat Veritatem; sed voluntariè, tum ex libidine refragandi Ecclesiæ Catholicæ, tum ex aliis rationibus politicis, manet in hoc dubio, is salvari nequit. Et ratio est: quia DEI Revelationem & Testimonium contemnit.

§. 3.

*Qui dicit, sufficere, ad Salutem, modò quis credat, in quibus hæ tres Religiones, Cotholica, Lutherana & Calviniana conveniunt, cætera verò esse Scholaria, is nec scit, nec scire vult, quænam credenda sint, ut salvus fiat.*

64. *Demonstratur 1.* Homo talis Fidem Christianam, suamque Salutem arbitrio, ac judicio suo fallibili, nullòque fundamentò nixo petulanter committit. Qua enim ratione necessario credenda sunt, in quibus Lutherani & Calviniani adstipulantur Catholicis, eadem & illa, in quibus pertinaciter refragantur: cum omnium sacris Literis, tum infallibili, circa Scripturæ veritatem ejusque sensum, Ecclesiæ Catholicæ Judiciò nitantur. Et quo ausu illud adstruitur, eòdem quis dicere posset, ea duntaxat credenda, esse, in quibus non solum Lutherani & Calvinistæ, verùm & Mennistæ ac Ariani, immò omnes, quotquot fuere Sectæ cum Ecclesia Catholica



tholica conveniunt. Igitur hic nescit, & quis obstinatus est, nec scire vult, quid credere debeat, ut salvus fiat.

65. *Demonstratur* 2. Non per hoc Ecclesiæ Catholicæ Articuli, quòd pernegentur aut in Controversiam vocentur à Protestantibus, desinunt esse necessarij ad Salutem. Nam aliàs, nec Articuli de Sanctissima Trinitate, & vera Christi Divinitate, &c. necessariò credendi forent, cum pariter ab Arianis, (qui & Scripturam, & Spiritum ac judicium privatum, & multitudinem sequacium, æquè, immò magis quàm moderni Dissidentes, jactitabant) fuerint impugnati. Nec ideo sacri Textus, quos Novatoribus opponimus, redduntur incerti, dubii aut obscuri, quoniam aliter explicantur, aut negantur esse Canonici, ab iisdem sicut neque illi censendi sunt esse tales, quibûs Mysterium Trinitatis ac Incarnationis comprobamus, propterea, quòd diversam acceperint interpretationem ab Arianis. Numquid ideo novi Testamenti Scriptura in dubium revocanda, quòd Faustus Manichæus cum suis (ut testatur S. Augustinus lib: 32. contra Faustum c. 2.) voluerit 4. novæ Legis Evangelia multis scaterere erroribûs, nec fuisse ab Apostolis conscripta? Aut quòd Alogiani (teste S. Epiphano hæresi 51.) tres tantùm Evangelistas, Mathæum, Marcum & Lucam, repudiâtò Joannè, admiserint? Aut quòd Lutherus in præfatione ante novum Testamentum dicat, Evangelium Joannis unicum esse purum, verum, ac principale Evangelium, alijs tribus longè



longè latèque præferendum? Igitur nec Articuli Fidei Catholicæ desinunt esse necessarii ad Salutem; nec Scripturæ quibûs comprobantur evadunt incertæ, per hoc quod oppugnentur, & sensu diverso exponantur à Dissidentibus.

66. *Demonstratur 3.* Multos Fidei nostræ Articulos rejiciunt Protestantes, pro quibus defendendis, æquè claras, imo clariores adducimus Scripturas, quàm pro iis, quos nobiscum profitentur. Quomodo igitur non necessariò credendi? Certè quotquot afferri possunt Textus pro Mysterio Trinitatis & Incarnationis, non ita sunt perspicui, sicut e. c. iste: *Hoc est Corpus meum. Mat: 26. v. 26.* Quo vera & realis præsentia Corporis Christi contra Calvinistas, & Transubstantiatio contra Lutheranos demonstratur. Aut ille: *Si vis ad Vitam ingredi, serva Mandata Mat: 19. v. 17* Quo necessitas bonorum Operû; Aut ille: *Unusquisque propriam mercedem secundum laborem suum accipiet. 1. Cor: 3. v. 8.* Quo præmium bonorum Operum; Aut ille: *Si omnem Fidem habuero, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum. 1. Cor: 13. v. 2.* Quo, non solum Fidem justificare, contra eosdem evincitur. Vide plura hac de re Num: 53. & 54. Si itaque Articuli, quibus dissentiant Protestantes, clarissimîs Scripturæ Testimoniis comprobantur, quomodo non necessariò credendi?

67 *Demonstratur 4.* Manifestum est, ipsammet Scripturam, s. qua Fides Christiana nititur, credendam esse. Ast circa hanc discrepant Lutherani ac Calviniani, tam a nobis quàm inter se:



ter se: Videlicet in acceptandis Libris Canonici-  
cis, in versione ex Originali, in expositione &  
interpretatione Sententiarum, in assignatione  
Textuum clarorum, ( quos enim volunt, dicunt  
esse clarissimos, quos nolunt, ambiguos ) in de-  
terminatione, hicne Scripturæ locus per illum,  
an ille per hunc sit explanandus &c: Ut abunde  
liquet ex nuperno Tractatu de Presbyterio,  
*Conclusio Theologica*, nuncupato.

68. *Demonstratur* 5. Contenta Symboli Apo-  
stolici proculdubio essentialia sunt Fidei: & ta-  
men in his quoque discrepant Protestantes tam  
à nobis, quàm inter se. Exem: cau: circa *Sanctam  
Ecclesiam Catholicam*: Cum eam contra ex-  
pressum Christi Mandatum (*Si non audierit Eccle-  
siam sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus. Mat: 18.  
v. 17.*) non audierint primitus Lutherus ac Cal-  
vinus cum Aseclis suis, & consequenter con-  
tra idem præceptum, hucusq; non audiant ii  
qui illorum vestigia ac inobedientiam secuti,  
seipfos refractariè Ecclesiam Catholicam nun-  
cupant. Dissentiunt præterea circa *Ecclesiam Ca-  
atholicam*, quòd non agnoscant Caput ejus in ter-  
ris Visibile; totum Ecclesiæ Ordinem immuta-  
verint, verosq; Episcopos & Presbyteros (un-  
de pendet Sacramentorum valor) amiserint. Et  
quidem hac in parte nec inter se conveniunt.  
Nam Calvinistæ Genevenses negant, posse ul-  
lo pacto Regem aliquem & multo minus Regi-  
nam in Regno suo, Ecclesiæ militantis Caput  
constitui: Anglo-Calvinistæ verò sive Prote-  
stantes affirmant. Hi pròfitentur quoq; Eccle-  
siam con-



siam constare debere Episcopis, Presbyteris, aliisque Hierarchiæ Ecclesiasticæ gradibus. Quod pernegant cum Lutheranis Calvinistæ Geneveses, Belgici, & Germani

69. Discrepant circa *Communionem Sanctorum* Cultum enim eorum ac Invocationem angvè pejùs habent. Circa *Remissionem peccatorum*: cum ea, quæ ad veram pænitentiam, remissionem peccatorum, & consequenter ad vitam obtinendam æternam requisita sunt, aspernentur: nimirum, veram Confessionem delictorum à se commissorum, eorum Presbytero instituendam; absolutionem Presbyteri à vero Episcopo ritè ordinati, actus pænitentis præter Fidem necessario ad Justificationem exigitos &c: Circa *Vitam æternam*: Nam prædestinationem ac reprobationem talem adstruunt Calvinistæ, quæ sacris Literis & Divinæ voluntati è diametro opponitur. Circa *Descensum ad inferos*, Assirnant siquidem Calviniani, hunc descensum aliud non esse, quàm Christum in cruce, Inferni dolores & angustias perpeßum fuisse: ut docet Calvinus l. 2. Instit: c. 16. §. 10. Et Beza in cap: 26. Mat: v. 37. Quibus opponuntur Lutherani. Imo, discrepant circa *DEUM ipsum ejusq; Cultum*, quatenus Adorationem Christi in Eucharistia; implorationem Intercessionis Sanctorum apud Dominum nostrum, asservationem reverentialem sacrarum Imaginum, Idololatriam injuriosissimè vocitant.

70. *Demonstratur 6* Dissident à nobis, immò & intèr se, quoad media Salutis à Christo instituta, nimi-



tuta, nimirum Sacramenta; nunc 4. nunc 3. nunc 2. pro libito adstruentes. Immò & circa Baptismum ipsum, qui prima est ad Christianismum Janua: & sine quo nemo salvari potest. Calvinistæ enim firmiter tenent, Parentum fidelium Liberos ante Baptismum justos & Sanctos esse, ac proinde sine eo salvari posse; Liberis vero Infidelium. Baptismum nihil prodesse. Ut docet Calvinus in Antidoto Conc: Trid: Sef: 6. c. 5. Lutherani asserunt, Intentionem seu voluntatem baptizandi non requiri in Ministro, ad valorem: quod ipsum gravissimum errorem esse, qui innumeros Baptismo revera destituere posset demonstravi toties manifestè. Circa Eucharistiam, de qua Christus Joan: 6 v. 33. *Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* Calviniani solâ contenti figurâ, negant Christi Carnem aut Sanguinem realiter & propriè sumi debere. Lutherani quidem affirmant, sed præterea impanationem quandam confingunt. Solvunt quoque Christum haud pauci, credentes, sub specie panis non Christum, non DEUM, sed corpus exanime sine Sanguine, anima & Divinitate sumendum esse. Verbò, quicumq; dicit, Lutheranos & Calvinistas dissidere à Catholicis, in iis tantum, quorum Fides non est necessaria ad Salutem, convenire autem inessentialibus, is temerè ac merè pro libito, quod vult, asserit esse essentialiale; quod non vult, accidentale. Ergo manifestè ob pertinaciam suam, nec scit, nec scire vult, quænam sibi credenda aut facienda sint, ut salvus fiat. PUN-



## PUNCTUM TERTIUM.

*Dissolvit omnia Fundamenta, quibus Syncretistæ & Adiaphoristæ, unâ cum præfato D. Politico, Libertino-Pietistâ, præcipuè, imò unicè nituntur.*

§. I.

*Syncretistica Articulorum Fidei, in essentielles & accidentales Divisio, Figmentum est palpabile.*


71. Syncretistarum ac Libertinorum basis præcipua, supra quam imaginariæ Religionis suæ Systema construunt, est illa Articulorum Fidei, in essentielles, seu qui necessariò credendi, ut homo salvus fiat; & accidentales, seu quos liceat credere vel non, divisio. Quamvis autem nonnulli Articuli in Religione Christiana, sano sensu dici queant substantiales, id est primarii, ratione objecti credendi principatissimi, quod est Deus, Trinitas Personarum ejus, Christus: Item licèt quorundam, & quidem paucorum Fides explicita sit necessitate mediæ (ut vocant Theologi) requisita ad salutem, ita videlicet, ut illum, qui eosdem nesciret, ubi Evangelium promulgatum est, nec invincibilis ignorantia excusaret; aliorum verò Fides explicita necessitate solùm Præcepti Divini requiratur ad salutem: Nullatenus tamen dantur in Christianitate Articuli Fidei accidentales hoc sensu. 1. Quasi; liceat quædam credere vel non, admittere vel repudiare, tam & si cognoscantur esse revelata à Deo, eò quòd sint res minoris momenti. 2. Aut quòd liceat ea ignorare



ignorare voluntariè, vel in dubio, sint ne verè revelata aut præcepta, manere, ac negligere seriò & sedulo hac in parte indagare veritatem Ita &c.

72. *Demonstratur Pars prior 1.* Quoties urgentur Syncretistæ indigitare, quoniam defacto Articuli sint accidentales tantum, qui verò Essentiales, mirum se torquent in modum. Alii volunt essentialia & necessariam duntaxat esse, credere Symbolum Apostolorum: alii, credere ea, in quibus tres Religiones, Catholica videlicet cum duabus Protestantibus conveniunt: alii, credere ea, quæ clare expressa habentur in sacris Literis, alii cum memorato Politico, facere illa, quæ expressè sub conditione obtinendæ Salutis proponuntur in sacro Codice, & omittere, quibus æterna damnatio adjungitur: (quæ omnia Puncto secundò palpavimus esse falsa) Infero: Ergo vel ex ipsa circa determinationem Articulorum essentialium fluctuatione colligitur, prædictam divisionem esse commentitiam.

73. 2. Deus, ejusque Testimonium Fide dignissimum est, si ve revelet aliquid magni vel parvi; si ve testetur aliquid de se ipso, si ve de creaturis. Ergo æqualis Fides tam in his quàm in illis debetur eidem. Nec minùs erit Deo revelanti rebellis atque injurius in Authoritatem ejus, & per consequens, æternæ damnationis reus, qui minus quid, si verè est revelatum, quàm qui majus negaverit. Igitur articuli: Fidei, memorato sensu accidentales, non nisi iniquissimè adstruuntur.



74. 3. *Qui-*



74. 3. *Quicumque totam Legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Inquit S. Jacobus c. 2. v. 10. Ergo, sicut unum V. G. ex 10. Præceptis voluntariè transgredi. opponitur toti Charitati, eamque tollit; ita & unum à Deo revelatum non credere, toti ad veritatem Fidei, eamque excludit. Et Mat. 5. v. 19. ipse testatur salvator: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in Regno Cælorum.* Porro minimus in præfenti idem significat, quod indignus Regno Cælorum: ut ipsemet Politicus noster fatetur pag. 8. Sicut igitur damnandus, non solum ille, qui Mandata Dei circa objecta grandia, sed etiam qui circa minora graviter obligantia transgreditur; ita pariter non tantum ille æternam excludendus gloriam, qui Deo revelanti in rebus majoribus, sed & qui in minoribus renuit credere. Maxime cum inter Mandata agendi, præcepta quoque credendi contineantur. Quam ergo frontem Articuli Fidei accidentales, quos liceat credere vel non, tam & si à Deo revelati sint, adstruuntur?

75. 4. Qui vel unum Articulum, quem cognoscit esse revelatum, non credit, eò quòd existimet rem minoris momenti esse, is revera, nec credit in Christum, nec ullum credit Articulum Fidei Divinæ: sed ad summum, ore solum credit, aut Fidem duntaxat habet Politicam. Si enim crederet e. c. in Christum, crederet ideò, quoniam Deus qui in omni Verbo suo infallibilitatem & Authoritatem habet ut  
 sibi



sibi credatur, hoc revelavit. Sed si hoc verè & Fide Divina crederet, crederet utique omni Verbo, ac proinde etiam in rebus minimis. Ergo si non credit in iis, revera nec credit in majoribus sed tantum dicit se credere.

76. 5. Tu, qui asseris, in Religione Christiana dari articulos accidentales, quos credere, tuo relictum sit arbitrio, responde ad sequentia. Vel agnoscis ejusmodi Articulos esse revelatos à Deo, vel non agnoscis? Si agnoscis, & tamen non credis, factus es Deo rebellis, & consequenter æterni reus supplicii. Imò (ut constat ex immediatè dictis) nihil credis Fide Divina: nec Christianus es, cum actum hunc universalem non habeas, *Credo omnia, quæcunque Deus revelavit.* Quo modo igitur præfati Articuli dicendi sunt accidentales, & minimè ad Salutem necessarii? Si verò non agnoscis esse revelatos, Ergo nec credere eos poteris Fide Divina: hæc siquidem pro motivo habet Revelationem Divinam. Et consequenter nequidem dicendi sunt Articuli accidentales. Ergo Divisio in essentielles & accidentales &c. figmentum est risu dignum.

77. Dices: Hæc. quæ accidentia voco, agnosco quidem revelata esse in scriptura, verum obscure duntaxat & in confuso, ita, ut maneat dubium, num hæc in sensu Catholicorum, an verò Protestantium sint sumenda. Respondeo: demus hoc interim gratis: Infero, ergo quamdiu manes in dubio, neque potes ea credere Fide Divina; postquam verò ad



evidentiam moralem Revelationis perveneris, obligaberis ea credere. Qua igitur fronte dicuntur articuli Fidei accidentales? Addo: si Deus talia revelavit in sacris Literis, quæ per se non patent, quoniam sensu accipienda ergo & providisse nobis debuit media seu, infallibiles scripturæ Interpretes, qui ea exponant certissime. Alias enim frustra hæc à Spiritu S. inspirata, & ab Apostolis conscripta fuissent: nec ad alium deservirent finem, nisi ad Schismata fundanda, & sub prætextu luminis privati, ad perviciam fovendam inter Christianos. Relege, quæ, hac de re Puncto secundo à num. 43. & Puncto primo per totum, plus quàm satis dicta sunt.

78. *Demonstratur Pars altera:* Videlicet, quòd non liceat voluntariè ignorare, quæ à Deo revelata aut præcepta sunt, vel in dubio hac de re manere, & studiosè non inquirere veritatem. Siquidem enim Deus, quidquid revelat & præcipit, ideo revelat ac præcipit, ut nos credamus & faciamus: ( quod ipsum constat non solum ex innumeris scripturæ Locis, sed & ipso lumine rectæ rationis: maximè cum illa quæ revelat, sint vel finis noster ultimus, vel media à Deo præscripta ad eundem consequendum. ) Hinc, qui voluntariè ignorat talia, negligitque seriò indagare veritatem, & in dubio suo perseverat, is contemnit Dei testimonium ac præceptum, adeoque & salutem propriam: resolvit enim se ad non credendum, non faciendum, sive sit revelatum aut præceptum, sive non sit: qualis proculdubio non est aptus ad Regnum Cœlorum. §. 2 Spiri-



§. 2.

*Spiritus privatus interiùs affecurativus, de Sacre  
scripturæ veritate, sensu ac claritate, quo Syn-  
cretistæ & Libertini, alique Novatores  
niti volunt, palmare com-  
mentum est.*

79. Solent Novatores, quoties ad angu-  
stias compelluntur, ad privati Spiritûs tenebras  
cònfugere, fingentes, dari suis, qui bonò ani-  
mò perscrutantur scripturas, lumen aliquod  
interiùs à Deo, quo affecurentur infallibiliter,  
quod scriptura sacra Dei sit Verbum, quinam  
Libri Canonici, qui Textus revera clari, aut  
per quos declarandi, quisnam Germanus dif-  
ficiliorum sententiarum sensus, quæ in uni-  
versalibus particularia contineantur implicitè  
&c: Verbò, quænam sibi credenda & facienda  
sint, ut sálvi fiant. Et hunc Spiritum, volunt  
Protestantes, se defacto jam obtinuisse; Syn-  
cretistæ verò & Libertini, existimant, saltem  
quo ad multa, nimirum quæ non adeò clara in  
Bibliis exprimuntur, adhuc expectandum esse.  
Politicus noster sic hac de re pag. 18. differit:  
*Quædam in scriptura reservavit Deus, suo tempore  
nonnullis quibus voluerit, percipienda concedere, sen-  
sumque eorum aperire. Sed assertum nostrum:*

70. *Demonstratur 1.* Experimentiâ compertum  
est, lumen ejusmodi internum Spiritûs S. ne-  
quaquam dari Dissidentibus, tametsi profite-  
antur omnes, se animò bonò scripturam e-  
volvere. Si enim daretur, non tot profectò



de iis, quæ credenda sunt, experiremur inter eos contradictiones: cum Spiritus S. Testimonium nequeat sibi esse contrarium. Ast contradicunt sibi in multis: Exem: cau. Lutherani asserunt, se internò Spiritûs S. Testimoniò assecurari, quòd per hæc & similia Christi Verba, *Hoc est Corpus meum Matt: 26.* re alis Corporis Christi præsentia denotetur in Eucharistia. Calvinistæ è contra protestantur, se internò Spiritûs S. Testimoniò assecurari, quòd hic figura duntaxat significetur. Et Lutheranos inter, alii volunt se ex instinctu Divino scire, sub specie panis sumi Corpus exanime, sine sanguine, anima & Divinitate. Alii dicunt, se ex instinctu Divino scire oppositum. Calviniani affirmant, se Divinitus edoceri, Epistolam S. Jacobi esse Canonicam, & verum Dei Verbum. Lutherani è converso arbitrantur, se Divinitus certificari, non esse Canonicam, sed stramineam. Rursus inter eos, An. 1598: Argentorati, Ministri Lutheranorum eliminarunt è sacrorum Librorum Catalogo Epistolam S. Jacobi, Epistolam S. Pauli ad Hebræos, & Apocalypsim S. Joannis. Post 74. verò annos denuo reassumpserunt. Tandem Syncretistæ, & Adiaphoristæ profitentur, se à Spiritu S. interiori loquente didicisse, hæc & similia inter Protestantes controversa, accidentalialia tantum Fidei, nec necessariò credenda esse. Quis non videt Spiritum hunc privatum, merum figmentum, & in re proprium, variabile, fallibile-que iudicium, aut potiùs sentiendi libidinem esse?



81. Quicumque vanitatem hanc palpare desiderat, sciscitetur ex aliquo Novatore. cur hoc vel illud in materia Fidei sentiat, hanc vel illam Scripturam sic intelligat, cum tamen omninò aliter judicent, sive qui oppositã Religionem profitentur, sive etiam in eadem Secta constituti? Respondebit ita se rem omninò habere, prout ipse dicit, se in animo suo assecuratum esse, Spiritum S. testari id Spiritui suo moxque ingemiscet, O! utinam & alii, quotquot Sententiæ meæ refragantur, in humilitate & animò bonò scrutarentur Scripturas, profectò veritatem hanc pariter manifestam haberent! Vado deinde ad alterum (puta simili sacrarum Literarum notitiã gloriantem) ad tertium, decimum, centensimum &c: tot sensus, quot capita reperies: tametsi omnes, eadem phrasium pompâ, Spiritus S. Testimonium jactare non erubescant. O tempora! O mores! uniuscujusvis hominis fallibile iudicium, Testimonium Spiritûs S. pertinacia Sensûs proprii & obstinatio, superna assecuratio nuncupatur!

82. *Demonstratur* 2. Prædictus Spiritus privatus non adstruitur, nec eò regulari debent homines in ordine ad ea quæ facienda sunt: (alias enim nulla Communitas subsistere posset) ergo à fortiori, nec ad ea quæ credenda sunt. Sed sicut in operando, ad Dei Præcepta & Leges communes attendendum, non verò ad id quod tibi Spiritus privatus dictare videtur, (sicut volunt Quakeri & Tremblantes, quibus



quibus medicò magis quàm argumentò opus est) nam aliàs omnia scelera impunita relinqui, totaque morum disciplina dissolvi deberent: Ita & in credendo Fide Divina, ea spectanda, quæ exteriùs nobis à Deo revelata & per Ecclesiæ suæ Doctores proposita expositaque sunt: non verò, quæ tibi Spiritus tuus privatus persuadet: aliàs enim omnes errores ac deceptiones in materia Fidei, impunitæ relinqui, totaque Fides Christiana ( tametsi sine hac impossibile sit placere Deo ) dissolvi deberet.

83. *Demonstratur* 3. Deus statuit, Fidem Christianam esse communem hominibus, & exteriùs profitendam, non privatam: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Inquit Dominus Matt. 10. v. 32. Ergo & Regulas externas atque communes omnibus, quibus, dum controversia de credendis aut faciendis, de hoc vel illo Scripturæ sensu exoritur, infallibiliter dirigamur, providere debuerat. Ut quid prædicasset Christus? ut quid Apostoli? ut quid signis de Cœlo sermonem confirmasset, unumquemque Spiritui suo privato relinquere voluisset? Certè, si lumen interiùs assecurativum, cuius dandum erat, Prædicatione externa, imo nec scripturâ opus fuisset. Vel ad summum sola scriptura absque prædicatione & Miraculis per Orbem dispergi, & interior præteria de vero sensu dari hominibus assecuratio potuisset. Sicut igitur noluit Deus, ut primi Christiani Spiritu regularentur privato, sed licèt eandem haberent Scripturam

ram



ram, quam nos modò, providit nihilominus iisdem Expositores, Interpretes, ac Controversiarum Diremptores infallibiles: quorum confirmabat sermonem notis & Signis de Cœlo evidentibus. Ita & postea per omnia Christi sæcula: & nunc: cum eadem imò major tot inter Sèctarios, Spiritum privatum jactitantes sit necessitas.

84. *Demonstratur* 4. Nullum prorsus hujus privati luminis afferri potest fundamentum. Ergo commentum est. Illuminat quidem Deus omnem hominem venientem in hunc Mundum; ast non immediatè interiùs affecurando, quid credere aut agere debeat: verùm exteriùs per Doctores & Scripturæ sacræ Interpretes assistentiâ Spiritûs S. præditos, declarando palam per tot Notas Signa evidenter Divina, Doctrinam ac Interpretationem eorum suam esse. Tandem postea interiùs quoque Intellectum illustrat, ut homines tum Prædicationem & expositionem Doctorem suorum, tum has ipsas veræ Ecclesiæ Notas percipiant: allitigantque voluntatem ut Doctrinam suam acceptare non renuant. Sic fecerat tempore Apostolorum, sic illuminabat primos Christianos. Ergo & modò. Et ideo Christus non tantum Apostolis, sed & eorum Successoribus promisit Spiritûs S. assistentiam in docendo infallibilem. *Rogabo Patrem, & dabit vobis Spiritum veritatis, ut maneat vobiscum in æternum: ille vos docebit omnia. Joan. 14. v. 16. Et Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem Sæculi*



*Matt. 28. v. 20.* Quod proculdubio non de solis Apostolis dictum, hi siquidem non erant per manfuri superstites usque ad consummationem sæculi. Ideo pollicitus est Signa & Miracula etiam sequentibus Temporibus: *Qui credit in me, Opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet. Joan. 14. v. 12.* Nec curandum, quod Prodigia quæ patrantur in Ecclesia Catholica, aliæq; infallibilitatis Notæ, rideantur ab obstinatis, cum compertum habeamus, ipsius Salvatoris Miracula à Pharisæis nunc pertinaciter negata, nunc malevolè Arti magicæ adscripta fuisse. Ideo quoq; Dominus *audire Ecclesiam. Matt. 18.* id est Præpositos Ecclesiasticos, ut toties se explicat, e. c. *Luc. 10. v. 16. Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.*

85. Quicumque igitur vult illuminari à Deo, non petat lumen aliquod extraordinarium privatim assecurativum de iis quæ credenda sunt: id enim esset tentare Deum; Sed lumen imploret ordinarium, quod primò exterius per Ecclesiæ Christi Rectores & Scripturarum Interpretès conferri solet; (ut videre est in S. Paulo, in illo Reginae Candacis Thesaurario, num: 100.) deinde & interius per Spiritus S. illuminationē: ut hæc ipsa, quæ sibi proponuntur, ritè percipere, ac libenter & prout oportet ad Salutem acceptare valeat. Qui illuminari vult à Deo, audiat vel (si tanti est) legat in humilitate & animò bonò Scripturam: sed quomodo? Num arbitrando, se meliùs eandem intelligere, quàm omnia SS. Patrum Concilia,  
omnes



omnes per tot sæcula Ecclesiæ Doctores intellexerint? ( ut fecerunt Lutherus & Calvinus cum suis Assēclis ) An sperando, quòd possit etiam Textus difficilores, absq̃ Doctore percipere? ( ut faciunt Libertino-Pietistæ ) Id profectò, non humilitatis actus, sed ventosa superbia est. Aliter cum humilitate legenda sunt Biblia. Consulendi ante omnia etiam nostri Doctores, eorumque Lucubrartiones Polemicæ, ut sincerum Scripturæ sensum à depravato discernere valeas. Ac tandem, privatam, dubium, fluctuansque judicium tuum, Ecclesiæ Catholicæ Judicio submittendum. Si hoc feceris, poteris in illa extremi Judicii die securus profiteri: Feci Domine, quod jussisti: obedivi Ecclesiæ in omnibus, ut mandasti: nec aliter, quocunque me verterem, securus esse poteram. Præsertim cum innumeris planè Exemplis compertum habuerint, omnes, quotquot fuere, Sectarios, ideo à veritatis tramite turpiter defecisse, quòd spretò Ecclesiæ Catholicæ judiciò, suo in Rebus Fidei arbitrio, quod Spiritûs sancti Testimonium appellare non sunt veriti, adhæserint.

86. *Demonstratur* 5. Si rejectò Controversiarum Judice, & infallibili Scripturarum Interprete, Spiritui privato acquiescendū esset, *Sequeretur* 1. Nullas Hæreses refutari aut erroris convinci posse. Obtrudant enim nostri ævi Novatores, cuicunque enormissimam licet hæreticam, Doctrinam ejus apertæ reluctari Scripturæ, seque in anima Divinitus edoceri, Scrip-



turam hanc esse claram, & omninò sic, ut ipsi asserunt, intelligendam. Reponet ille, falsum est: non sic, sed ita, prout ego dico, Scriptura sumenda est apertissime: hoc svadet, hoc testatur, hoc denique jubet interior Spiritus S. Instinctus. Quid ageretis ulterius, si ad externum Judicem non datur Recursus? *Sequeretur 2.* Apostolos unà cum S. Paulo ad Tit. 3. v. 10. cunctosque primitivæ Ecclesiæ Patres errasse, quòd tantopere persecuti fuerint hæreticos. Omnes siquidem Spiritu privato sese tueri potuissent. *Sequeretur 3.* Frustra dari in Christianitate Doctores & Prædicatores, si unumquemque, Spiritus S. Testimonium, quid credere debeat, assecurat intèriùs, Porro hæc admittere, est delirare: certum igitur manet, Spiritum privatum, commentum esse vanissimum.

87. Tandem pro complemento dictorum, quæro ex Politico nostro: Quo casu Lutherani aut Calvinistæ rigidiores, ad ea omnia, quæ studiosè conscripsisti, sic responderent: Nos pro iis, quæ tu minùs clarè in sacris Literis exerata, ac proinde nec ad salutem necessaria esse asseris, jam defactò Spiritus S. Lumen ac Testimonium: quòd omnino credenda & facienda sint, habere. Quid ad hæc Dominus Politicus? Num dicet, errare eos, nec bona Fide Scripturam lumere? Ast reponent: tu politicùs erras: tu Fide mala scriptum tuum concinnasti. Sic loquitur, sic testatur nobis Spiritus S. hodie; tibi verò Lumen ejusmodi, (ut fateris pag. 18.) adhuc expectandum,



*Nullus Syncretista aut quicumque alius Novator, insistendo opinioni suæ, si se reflectat seriò, judicat bona Fide aut inculpabiliter de iis quæ credenda & facienda sunt ad salutem; sed judicium ejus dubium est, graviterque culpabile.*

88. Eò usque Fides Christiana defecit apud multos, ut Divina in humanam prorsus sit transformata. Cùm haud pauci arbitrentur Politici, ea, præsertim circa Articulos, quibus moderni repugnant Dissidentes, credenda esse, quæ hic vel ille, bona Fide (ut vocat) seu judicio proprio, credi debere existimat. Hocque judicium (tametsi experientiâ constet falli sæpissime) Conscientiæ ac Fidei libertatem; & è converso, quoties sibi in sensu suo putatio manere non permittitur, Jugum Papisticum, indignissimè compellant. Pertinaciter id ipsum Politicus noster, quàmvis ex industria paulò obscuriùs promovet, e. c. pap. 22. ubi de bona Fide disserit: & pag. 5. ait: *Nequit Deo placere, dum altercamur de talibus, quibus salus affixa non est, aut unus alterum cogat, ut ita sentiat quomodo ipse, & non aliter &c.* Istud itaque Oppositorum Principium convellendū in præsentī, atque demonstrandum 1. Eos nequaquam bona Fide, sed Conscientiâ dubiâ & culpabili judicare de credendis ac faciendis ad salutem. 2. Neminem cum Judicio & Conscientia ejusmodi ad Vitam æternam dispositum esse.



89. *Demonstratur prima Pars 1.* Syncretista, si-  
 ve dicat, credendum tantum esse necessario in  
 Deum & Christum; siue quidquid in Symbolo  
 Apostolorum continetur; siue in quo tres Re-  
 ligiones consentiunt; siue ( ut vult D. Politicus )  
 ea facienda, quibus clarè in Scriptura talis æ-  
 terna annecitur, reliqua verò adiaphora esse  
 &c: tot habet in contra manifesta Argumenta:  
 ut vidimus Puncto secundò. Ergo, modò se  
 reflectat, saltem dubitare debebit de suæ Do-  
 ctrinæ veritate. consequenter, si persistat in ea,  
 nec seriò inquirat certitudinem, cum commo-  
 dè inveniri possit, Conscientiam habet dubiam  
 culpabiliter, & quidem gravissimè, de tali siqui-  
 dem agitur quò majus Mundus non habet, vide-  
 licet æternæ salutis Negotiò.

90. *Demonstratur 2.* Syncretista, quidquid  
 circa necessariò aut non necessariò credenda  
 vel facienda statuat, quoties se reflectit, animad-  
 vertit Judicium suum non esse infallibile: imò  
 nec convictivum se habere fundamentum, sed  
 merè pro libito, hoc vel illud asserere ( ut Pun-  
 ctò secundò palpavimus ) Igitur dubitat; & dum  
 modos possibiles assequendi veritatem negligit,  
 dubitat ac judicat culpabiliter.

91. *Demonstratur 3.* Nullus Syncretista aut  
 Sectarius habet majora credibilitatis indicia ( &  
 multò minùs infallibilia ) pro sua opinione,  
 quodvè scripturam meliùs intelligat, aut agnos-  
 cat ubinā clara ubi non; quàm pro quacunq; alia  
 Secta. Ut enim ipse, sic & alii scripturam ja-  
 ctitant, & quidem ( sicut volunt ) claram: Ut  
 ipse



ipse, sic & alii unum Textum conantur exponere per alterum: Ut ipse, sic & alii producunt in medium Spiritum privatum, iudiciumque suum, & Libertatem Fidei ac Conscientiæ prætendunt. Ergo dubitare cogitur: Et si manet voluntariè in dubio, peccat graviter.

92. *Demonstratur 4.* Nullus habet Fundamentum convictivum, suo potiùs suorumque iudicio, circa scripturæ interpretationem, & ea quæ credenda sunt, quàm Ecclesiæ Catholicæ, standum esse; Ergo dum se reflectit supra Opinionem suam, cogitur dubitare: & consequenter, quoties, non indagando veritatem, cum potest, perseverat voluntariè in dubio hoc, salutem suam æternæ damnationis exponit periculo.

93. *Demonstratur 5.* Nullus Syncretista, aut alius Novator, potest apud suos infallibiliter certificari, quòd sacra scriptura sit Dei Verbum, quòd Libri isti, quos volunt esse Canonicos, profecto sint tales, quod hic vel ille Locus revera sic clarus, sicque intelligendus, prout ipse arbitratur, quòd Propositiones universales circa ea quæ facienda sunt ad Salutem (quales in sacro Codice reperiuntur innumeræ) hæc & non alia comprehendant particularia &c: (juxta dicta Puncto secundò, à num: 46. & Puncto primò à num: 8.) Igitur, si ad hæc seriò se reflectat, dubitabit de omnibus, quamdiu opinioni suæ adhæret. Ergo tenetur eam relinquere, & veritatem in Ecclesia Catholica inquirere. Quod, si non faciat (sicut ordinariè non solent,



lent ii, qui curis temporalibus abrepti, de Fidei, id est salutis negotio parum cogitant, aut concertationis duntaxat, & non veritatis discendæ gratiâ, agere consueverunt) vincibiliter & culpabiliter ea quæ credenda aut facienda sunt, ut saluus fiat, ignorat.

94. *Demonstratur 6.* Tot manifestis Scripturæ testimoniis dogmata Catholica quæ à vobis reijciuntur, comprobamus, Ut etiam hic videre est e. c. num: 53. & 66. Ergo de vestris saltem dubitare debetis.

95. *Demonstratur 7.* Tot evidentibus Puncto primò evicimus argumentis, in Christianitate præter sacras Literas, viros quoque Spiritus S. assistentiâ instructos, qui infallibiliter, & signis de cælo attestantibus, Scripturam exponant, dirimantque controversias, semper dari debere. Quid ipsum luculenter patet etiam ex illis Christi Verbis, manifestè non tantum ad Apostolos sed & successores eorum dictis: *Ecce Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Mat. 28. *Et: Rogabo Patrem, & dabit vobis Spiritum Veritatis, qui maneat vobiscum in æternum.* Joan. 14. v. 16. Demonstravimus præterea ibidem, viros ejusmodi nullibi nisi in Ecclesia Romana Catholica reperiri. Unde evidenter liquet, Lutherum & Calvinum cum asseclis suis graviter defecisse, quòd huic Ecclesiæ judicium suum non submiserint: & per consequens, omnes eorum hac in parte sequaces, pari modo hucusque deficere. Cui verò id ipsum nondum factis videtur esse evidens, saltem hæsitare, fluctuare,



are, de que opinione sua dubitare debebit. Porro sic constitutum esse, est in statu peccati, & æternæ damnationis periculo existere, ut patet ex immediatè dicendis.

96. *Demonstratur itaq; Pars secunda: Quicumque de iis quæ credenda aut facienda sunt; ut homo salvus fiat, voluntariè dubitat, quatenus cum advertentia negligit inquirere veritatem, adeoque volens ignorat, num hoc vel illud revelatum sit à Deo aut præceptum, iste periculo se exponit peccati, discreditationis ac transgressionis Divini præcepti. Igitur juxta Ecclesi: 3. v. 27. Qui amat periculum peribit in eo. Resolvit se præterea ad non credendum aut faciendum, sive id sit à Deo revelatum aut præceptum, sive non sit. Ergo quantum de se rebellis est & refractarius Divinæ voluntati: & consequenter ad Vitam æternam minimè dispositus. Et hæc est alia conscientiæ ac Fidei execranda libertas, quam sibi permitti, adeò sollicitè prætendunt Novatores, Conscientia videlicet dubia voluntariè, ac culpabiliter erronea; in qua, modò se reflectant seriò, omnes versantur, (ut demonstratū à num: 89.) qui Ecclesiæ Catholicæ refragantur.*

§. 4.

*Disputationes strenuæ in materiâ Fidei, & Editiones nostræ Controversiæ non nisi impiissimè rejiciuntur.*

97. *Demonstratur 1. Qui enim talia rejiciunt, & proscripta esse volunt, hi praxim & modum*



dum agendi ipsius Christi Salvatoris nostri, Stephani Protomartyris, Pauli & reliquorum Apostolorum, Athanasii, Basilii, Chrysostomi, Augustini & omnium SS. Doctorum universæ per tot sæcula Christianæ Ecclesiæ injuriosè reprobant. Nonnè toties disputavit Christus in Evangelio cum Pharisæis & Sadducæis? & quidem non langvide, non mennisticè, sed ferventer, sed strenuè, instando opportunè, importunè, etiam increpando, & perversitatem eorum, ne aliis nocere valerent amplius, confundendo salutariter. Exem: cau. Mat. 16. *Accesserunt ad eum Pharisei & Sadducæi tentantes &c: Quibus ille, præmissâ de Cælo rutilante mane aut vespere sequelâ, subjunxit: Generatio mala & adultera Signum querit &c: Cavete à fermento Phariseorum & Sadducæorum!* Et Marci 12. Nunc cum Pharisæis & Herodianis de Tributo dando Cæsari; nunc cum Sadducæis de Resurrectione mortuorum disputabat. Cùm enim primi Salvatorem dolosè interrogassent, num liceret Tributum dare Cæsari? voluit monstrari sibi numisma censûs: quod quia imaginem Cæsaris præferendo, spectabat ad eundem, hinc Argumentando conclusit: *Reddite igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei Deo.* Sadducæorum captiosam pariter obtrusionem de Viris septem, qui successivè eandem Uxorem habuerant, uter eorum in Resurrectione mortuorum, accepturus sit illam? confudit inquires: *Erratis -- Cùm enim à mortuis resurrexerint neque nubent, neque nubentur.* Quis non videt, Christum verè & propriè contra veritatis adversarios disputasse?



98. Disputavit & Stephanus Act. 6. v. 9. Surrexerunt autem quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum & Cyrenensium & Alexandrinorum, disputantes cum Stephano: & non poterant resistere Sipientiæ & Spiritui, qui loquebatur. Disputavit Paulus e. c. A. 9. v. 29. Disputabat cum Græcis. & Act. 18. v. 4. Disputabat in Synagoga, Et v. 19. Disputabat cum Judæis. &c. &c. Disputârunt omnes SS. Doctores: tot exstant libri Basilii, Athanasii, Hieronymi, Augustini, Chrysostomi &c. Disputationibûs referti ferventissimîs, quibûs omnis generis hæreticos, illos Arianos. Manichæos, Nestorianos &c. &c. acriter, & simili omnino stylo, atque nos hodie decertamus, convellebant.

99. Demonstratur 2. Ejusmodi rerum Polemicarum contemptores resistunt Spiritui sancto, qui in hunc finem, Ecclesiæ veræ in Apostolis appromissus est, Luc. 21. v. 15. *Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii vestri.*

100. Demonstratur 3. Tales æterni Patris Ordinationem reprobant. Ipse enim statuit, quidquid credendum & faciendum est, ut homo salvus fiat, non per Spiritum privatum, (ut ostensum superiùs) sed per Prædicatores suos infalibilibiter nos edocere, quemadmodum tempore Apostolorum, licet protunc jam haberetur Scriptura, fecerat. Ipse statuit, non aliter illuminare homines, nisi præmissa priùs expositione veritatis, ac repressione fallitatis, per viros, qui ad id muneris ritè vocantur, instituendâ.



Et ideo testatur Paulus Rom. 17. v. 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo audient sine Prædicatore? quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur?* Illuminare ac edocere quidnā sit credendū voluit Deus Act. 8. v. 31. illū Reginæ Candacis Thesaurarium, qui legebat scripturam. Sed quomodo? non per ipsam præcisè scripturam; non per Lumen aliquod privatum immediatè interiùs assecurativum: sed per Philippi Apostoli prædicationem ac expositionem scripturæ. Cùm enim Philippus quereret, *Putasne intelligis, quæ legis?* reposuit Eunuchus, *Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Admirabile fuerat Lumen, quod circumfulsit Paulum in via, Act. 8. v. 4. nihilominus percontari adhuc debebat: *Domine, quid me vis facere?* Responsum verò accepit: *vade in Civitatem, videlicet ad Ananiam. Ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Verbò, qui solum Lumen privatum, scripturam intelligere, & quidnam sibi ad vitam obtinendam beatam, credendum, agendumque sit, scire præsumit; externa autem media, Prædicationes videlicet & Disputationes in materia Fidei, nostraque scripta Polemica rejicit, is manifestæ Dei Patris, Filii, & Spiritûs S. voluntati ac ordinationi resistit: similisque fit *Aspidi surdæ obturanti aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium.* Psal. 58. v. 5.

101, Demonstratur 4. Delinquunt homines ejusmodi graviter 1. contra Deum, negando honorem & amorem sibi debitum. Cùm enim controversias Fidei seriò agitari, veritatem



ritatem sollicitè inquire, errores acriter impugnari (qua viâ homines ad cognitionem eorum, quæ Deus revelavit & præcepit, eluctari possent) ferant ægerrimè; revera permittere volunt, ut sui ignorent ea quæ Deus sciri mandat, atque in dubio persistant culpabili, seu, (quod idem est, ut constat ex dictis num. 96.) in continuo Divini Testimonii & Mandati contemptu. 2. Delinquant contra charitatem proximi, volendo tot animas in crassa eorum, quæ Salutis sunt, ignorantia relinquere, in dubio vincibili, in conscientia culpabiliter erronea, ac proinde in proximo damnationis periculo constituere. 3. Delinquant contra lumen rectæ rationis: hoc enim cuivis homini indicat; tum quòd propter bonum temporale, respectum videlicet Personarum, aut conjunctionem Politicam (quam proscriptionibus Polemicis, se promoturos arbitrantur) ea quæ Deum & animæ salutem spectant, non sint negligenda: tum quòd vera concordia, vera amicitia, vera confidentia nequaquam dici possit, dum homines in ignorantia rerum Spiritualium, in erroribus contra Fidem in statu perditionis relinquuntur.

102. Quid ad hæc sapientuli hujus Mundi? non audent quidem palam loqui nam manifestè convicti sunt; mustitant nihilominus inter se: *Quid profuerunt tot Opuscula controversa, his annis ex parte Catholicorum edita?* En judicium temerarium! Quia tibi, qui Gratia Dei in faciem resistis, Labor ejusmodi non profuit, ideonè



existimandum, nec aliis profuisse? multum proculdubio utilitatis contulit iis, quibus cordi salus est & veritas. Haud pauci è Dissidentibus veritatem Catholicam cognoverunt & amplexi sunt. Haud pauci eò deducti, ut modò Respectus humanos superaverint, eam sint amplexuri. Haud pauci debiles Catholici ( quorum aliàs langvor plùs quam aperta hæresis, nocere solet Ecclesiæ ) roborati, zelum Domûs Domini salutariter conceperunt. Vobis quoque Syncretistis, vobis Libertino-Pietistis, ad Vitam proderit sempiternam, si præsens opuscuculum animò bonò expendieritis. Nec ideo à veritate prædicanda, publicanda, propugnanda desistenda, quòd reperiantur multi, qui Spiritui S. reluctantes, eidem acquiescere detrectant. Non propterea destitit salvator ventilare Pharisæos & Sadducæos; non hanc ob causam cessavit Paulus disputare adversus Gentiles & Judæos! non ideo omiserunt scribere SS. Patres contra hæreses: Nec nos ideo à benè cæptis cessabimus. Agimus, ad quod agendum obligamur, & quantum supernò adjuti auxiliò possumus, reliquum Deo Judici committentes.

103: Alii, cum vere anctur, manifestè, saltem obscure, & sub verborum involucro, sub fucata quoque Charitatis promovendæ specie, Disputationes in materia Fidei, & opuscula nostra Polemica impugnant. Et talis est memoratus D. Politicus: Diçteria ejus aliquot expendamus. Pag. 5. sic loquitur ille: *Nequit Deo placere, si rixemur de talibus, quibus salus annexa non est,*



osq; persequamur, & unus alterum cogat, ut ita sentiat quomodo ipse, & non aliter &c. Et pag. 19. Quis asserere potest, permissum sibi esse, res planas in scriptura negligere, & subtilitates perscrutari, aut circa nugas quasdam criticas (NB. Syncretisticas dicere debebat) veluti Operis suis substantiam, die ac nocte desudare, alios propterea conviciis onerare, hereticos proclamare, opprimere, damnare, torquere, capite plectere, igni mandare &c. Nihil imprudentius, nihil excusabilius, nihil Divino Verbo difformius, nihil denique magis barbarum, inhumanum, & diabolicum est, quam talis agendi modus. Et pag. 21. Spectamus potius, quisnam aeternae salutis indicia clarè proposita, in se habeat, & non adversetur illi, qui in reliquis, non integrè ejusdem nobiscum Opinionis esse potest: si ad eundem nobiscum finem perveniat, minus de hoc, per quamvis media. &c. Quàm verò inconsultus sit Zelus iste, quàm vanus sub splendido phrasium involucro, quàmque sub specie pietatis perniciosus Saluti hominum, manifestè patet ex plena Sententiæ hujus Authoris Libertino-Pietistæ refutatione à num. 31.

104, Sed libet pietatis larvam, adhuc aper-  
tius excutere. In his aliisque similibus D. Poli-  
tici eloquiis, nonnulla quidem vera & æqua  
habentur, plurimo tamen præterea (maximè si  
juxta mentem ejus fumantur) falsa & injurio-  
sa nobis. Verum quidem est, quòd relictis ad sa-  
lutem necessariis, non debeamus vanis immora-  
ri Speculationibus. Falsum tamen, & Dei Verbo,  
ejusque Ecclesiæ Catholicæ injuriosum est quid-  
quid sub his, ad speciem piis & universalibus



terminis Author intelligit: nimirum, quasi verò, quotiescunque de Fide & operibus, de Sacramentis & mediis ad Salutem, de Ecclesiæ Capite, ejusque Ordine universo, de vero Presbyterio de S. Scriptura ejusque Interprete &c: verbò, de quibus moderni Controversiam moverunt Protestantes, disputamus, de inutilibus agatur Subtilitatibus.

105. *Verum* quidem est, crises & nugas, neglectis iis quæ clarè & planè exarata sunt in sacra Scriptura, non esse promovendas. *Falsum* tamen & injuriosum nobis est, dicere, quòd ea quæ in Bibliis sunt perspicua, negligamus: aut quòd nugis criticis immoremur, quoties nonnullorū Adversariorū Scripta barbara & scommatica, jucundâ pariter ac nervosâ replicatione, ( juxta illud: *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent Nomen tuum Domine. psal. 82. v. 17.* ) ut hac saltem viâ, calumniandi licentia ad modestiæ limites reducatur, convellimus.

106: *Verum* quidem est, eos, quibus veritatem Fidei persuadere nitimur, propterea non esse usque ad sanguinem oppugnandos. Et hoc observare debuissent Dissidentes illi, qui non adeò pridem, ad quæ argumentando non poterant, respondere maluerunt tumultuando. Hoc observare debuissent & illi, qui, postquam à Potestate legitima, puniti sunt scelerum rei, tot Scriptis virulentissimis, tot mendaciis & calumniis, orbem pene decipientes, Protestantes ad arma contra Catholicos arripienda, non sunt veriti concitare. *Falsum* tamen & Regno nostro injuriosum



injuriolum est, fingere, quasi nuper per Decretum Potestatis Catholicæ, Fides vestra, & non potius Tumultus ac scelera toti Mundo nota, castigata fuerint.

107. *Verum* quidem, quòd à conviciis abstinentum sit, dum Fidei veritas promovetur. Et hoc si observasset Dominus Politicus, profectò non tot aculeos sub modestiæ pallio, ut fraudulentius pungerent, Lucubrationi suæ inferuisset: nec oblitteratæ jam Executionis Thorunenensis, locò Anni Christi, prima statim Operis fronte, mentionem fecisset. En dicitis, & non facitis! toties experimur oppositum. *Falsum* tamen & injuriolum nobis appingere, quasi errores conviciis impugnemus: nisi sortè, falsitatem manifestè convellere: & ad vestra convicia lepidiori interdum scriptò subridere, pro convicio reputetur.

108. *Verum* est, quòd principaliter homini curandum sit, ut signa Salutis in se habeat. Sed falsum, ea tantummodo signa hujusmodi esse, quibus salus expressè in Scriptura opponitur; cum omnia, quæ Deus revelavit ac præcepit, credenda, sint & facienda. *Verum*, quòd Finis noster ultimus, nimirum Deus, quærendus sit. Ast falsum & Christo injuriolum est dicere, curanda non esse media. Cum ipse Salvator noster ea præscripserit, nec per Spiritum privatum, à quovis in sacris Literis indaganda, sed per eos quos infallibili Spiritûs S. ad docendum assistentiâ instruxit, pro- & exponenda esse voluerit.

109. *Verum* quidem est, Fidem ac Religionem,



in Charitate & mansuetudine promovendam esse. Et sic faciunt Catholici: Dissidentium verò Præcones minimè. Hic enim de mansuetudine & charitate toties solùm scribere aut differere conveverunt, quoties tumultibûs (eò quod severè puniatur à Potestate Catholica) aut scommatibûs, (eò quòd explosioni dentur) non valent proficere. *Falsum* tamen, & injuriosum est, non tantùm cunctis etiam antiquissimæ Ecclesiæ Doctoribus, sed & ipsimet Salvatori nostro, ejusque Apostolo Paulo, injuriosum tot Animarum Saluti (ut constat ex dictis) velle, Disputationes aut Editiones nostras Polemicas proscribendas (quod revera intendit Politicus) Resque Fidei sine Zelo, sine emphasi & energia, sed ad sumùm per modùm confabulationis alicujus Quakeristicæ, privatim solùm ac quasi per transennam, tractandas esse. Aliter profectò disputavit Christus, ut videre est num. 97. Aliter monet Paulus Timotheum: *Prædica verbum, instat opportunè importunè: argue, obsecra, increpa in omnî patientia & doctrina. Erit enim tempus cùm sanam Doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaccr- vabunt sibi Magistros prurientes auribus. 2. Tim. 4. v. 2. &c.* Aliter hortatur Titum. 2. v. 15. *Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni Imperio: Nemo te contemnat &c.* Quin imò pervicaces quosdam Adversarios fatunæ ad tempus tradiderat, ut disce- rent non blasphemare. 1. Tim. 1. v. 20.

§. 5.

*Consequentia & Illationes, cùm ex una Veritate revelata alteram ritè inferimus, à nullo Christiano recte rationis compote rejici possunt.*



no. Solent Syncretistæ & Pietistæ, aliique Novatores Scripturam sacram juxta privatum judicium suum interpretari; eamque & sub illa significatione, quam & quomodo pro libito suo existimant, claram enuntiare. Quotiescumque autem reponimus, eos falli, nec tali sensu hunc vel illum locum sumendum esse: Respondent, ita sibi videri in Domino, sic ipsum interiùs Spiritum S. attestari: ac proinde se, in judicio suo, & Conscientiæ libertate relinquendos, nec propterea, quòd aliis aliter videatur, de errore arguendos esse. Hacque industriâ Argumenta nostra eludere, & in opinione sua securi delitescere contendunt. Ast ubi urgemus eosdem Theologicè, & per consequentias lumine rectæ rationis à Deo hominibus inditæ nixas, inferimus sive absurda, quæ ex interpretatione tali sequerentur; sive unum Scripturæ sensum ex altero; sive particularia ex universali; aut à pari, locum hunc non sic intelligi posse, demonstramus &c: &c: Acceptare ejusmodi sequelas reluctantur, imò angve pejùs habent, & prudentiam duntaxat humanam, non autem Dei Verbum esse vociferantur. Ita facit D. Politicus pag. 7. inquit: *Homines docti volunt opitulari Deo per logicam suam, & per consequentias, seu deductas ex aliis Veritatibus sequelas, quod deest adjicere. Sed quàm graviter errent, palpabimus in præsentì. Assentum itaque nostrum*

III. *Demonstratur* I. Qui præfatas rejicit consequentias, æternæ Veritati, Christo nimirum Salvatori nostro, è diametro opponitur. Cùm



& ipse Illationibûs hujusmodi, sive doceret Populum, sive Pharisæos reprimeret, uti solitus fuerit Exem. cau: Marc. 7. v. 11. Divinam erga nos munificentiam per talem deducit sequelam: *Si ergo vos, cum sitis malî, nostis bona data dare Filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in Cælis est, dabit bona petentibus se.* Et Mat. 6. v. 33. Postquam explicuisset, quomodo nos Divinæ Providentiæ committere, nec nimis circa temporalia solliciti esse debeamus, infert: *Quærite ergo primùm Regnum Cælorum, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Et Mat. 24. v. 42. Ex una veritate, incertitudine videlicet horæ mortis, infert alteram, dicens: *Vigilate ergo, quia nescitis diem neque horam.* Et Mat. 18. v. 17. talem ex inobedientia facit sequelam: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus,* Et Luc. 12. v. 28 sic à pari imò à fortiori argumentatur: *Si fenum, quod hodie est in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos pusillæ Fidei.* Et Luc. 16. v. 31. *Si Moysen & Prophetas non audiunt: neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Et Joan. 14. v. 7. *Si cognovissetis me, & Patrem meum utiq; cognovissetis.* Et v. 15. *Si diligitis me, Mandata mea servate.* Et Joan. 18. v. 23. defendit Responsionem suam Annæ datam: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem benè, quid me cedis?* Quis non videt, Christum Dominum eâdem argumentandi methodô usum fuisse contra adversarios suos, quâ nos hodie contra nostros? Et hujusmodi Consequentia ac Illationes, quibûs una veritas ex altera deducitur, innumeris Christi Domini



Domini exemplis comprobantur : Igitur neque-  
unt rejici à Christiano.

112. *Demonstratur 2. Consequentia* oſores, S. Paulo, ejusque docendi modo adverſantur Hic ſiquidem ordinariè veritatem unam ex altera inferre conſuevit. Exem: cau. Rom. 5. v. 15 Ex hoc Fidei dogmate, quòd Adæ delictum, mortem poſteris adtulerit, deducit aliud de Chriſti Gratia in omnes redundante: *Si unius delictò multi mortui ſunt, multò magis Gratia Dei, & donum in gratia unius Hominiſ JJeſu Chriſti in plures abundavit* Et i. Cor. 15. Refurrectionem mortuorum probat, inferendo abſurda, quæ per legitimam conſequentiam ex oſſita ſententia ſequerentur: *Si mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit: quod ſi Chriſtus non reſurrexerit, vana eſt Fides noſtra. Ergo & qui dormierunt in Chriſto, perierunt. Si in hac vita tantùm, in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. &c: &c* Nonnè hoc eſt, manifeſtè per ſequelas argumentari?

113. *Demonstratur 3.* Homines ejusmodi adverſantur univerſæ Fidei Chriſtianæ, in qua innu-mera neceſſariò credenda, ut quis ſalvus fiet, habentur, tametiſ expreſſè non reperiantur in ſacris Libris, ſed ſolùm per Conſequentiam neceſſariam ex aliis textibus inferuntur. e. c. quòd detur Trinitas Perſonarum in Deo: quòd Filius Dei ſit conſubſtantialis Patri: contra Arianos. Sic quoque ex eo, quòd Chriſtus ſit verus homo natus ex Maria Virgine, inferimus, credimusque firmiteſ, habuiſſe verum Corpus humanum & Animam diſtinctam à Divinitate; item diſtinctam



luntates, humanam scilicet & Divinam, licet per omnia sibi conformes, cum duplicem habeat Naturam. Ex eo, quod Natura ejus humana vere physicè unita sit Verbo Divino, inferimus, credimusque contra Nestorium, unam tantum, nimirum Divinam dari in Christo Personam. Ex eo, quod Christus pro omnibus hominibus mortuus sit, inferimus credimusque etiam Gentilium & Judæorum Redemptorem esse; item omnibus promeruisse gratias sufficientes, modò ipsi velint. Ex eo, quod dixerit universaliter, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Joan. 3. v, 5. Inferimus, credimusque etiã Infantes baptizandos esse &c: &c:

114. *Demonstratur 4.* Adversantur universæ Scripturæ. Nunquam enim Textus unus explicare possit alterum; nunquam possemus credere contenta in propositionibus universalibus &c: Cum omnia hæc per rectam prius consequentiam inferri debeant. Vos quæso, Syncretistæ; vos Libertino-Pietistæ, quomodo scire potestis, quod Christus vos redemerit, nihil siquidem de vobis in scriptura determinatè? Necessè est, ut id ipsum per consequentiam inferatis, sic: *Omnes homines sunt redempti à Christo: sed nos sumus homines: Ergo nos sumus redempti à Christo.* Verbò, nihil prorsus ad rem loqui potest homo sive de scriptura sive de Fide sine consequentia & virtuali saltem illatione.

115. *Demonstratur 5.* Adversantur Lumini rectæ rationis naturaliter nobis à Deo indito, (juxta illud, Psal. 4. v: 7. *Signatum est super nos lu-*



*men vultus tui Domine*) quod cuivis dictat, rectæ Consequentia Illationi intellectum acquiescere debere.

116. *Demonstratur* 4. Adversatur Christianis moribus. Cùm enim Scriptura præcipiens Opera bona & virtutum exercitium, communiter sit universalis, nemo autem extra intellectum operari possit universalia, sed quivis circa actiones versari debeat singulares; sequeretur, homines nec scire, quænam facienda sunt, ut salvi fiant, & consequenter nec agere posse: Notitia siquidem contentorum in universalia, per rectam haberi debet consequentiam. Exem: cau. Beati dicuntur misericordes, in sacro Codice, & salvandi poenitentes. Sed adhuc restat sciendum, quænam sint opera misericordiæ? Quando & quibus, & qualia in his vel illis circumstantiis exercenda? Quid requiratur ad veram Poenitentiam? &c: Porro omnia hæc per Discursum convictivum Intellectus, & consequentias legitimas inferre debemus.

117. *Demonstratur* 7. Adversatur omni veritati. Sublatâ enim Consequentia, nulla falsitas refelli, nullus hæreticus erroris convinci poterit. Si objicias illi Scripturam, explicabit eam suo sensu, inquiens: Ego internum Spiritus S. Lumen in me experior, quòd sic re vera intelligenda sit, prout dico. Quid igitur faciendum? An permittendum, ut putrescat in errore suo, aliosque interim decipiat? Nequaquam: id enim Lex Divina vetat & humana. Convincendus itaque est per consequentiam: & inferendum, vel



ex alia veritate, quam admittet, Interpretationem ejus non posse subsistere; vel quodnam absurdum inde sequeretur; vel quòd quicumque alius hæreticus, pari modo errorem quemvis tueri posset &c: Verbò, sine recta consequentia nemo certò scire quidnam credere aut facere debeat, ut salvus fiat; nemo rectè de hujusmodi rebus differere; nemo alium convincere valeret: sed homo fieret, *sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.*

118. *Demonstratur* 8. Tandem sibimet ipsi adversantur oppositi, dum opinionem suam ex variis deducere Rationibus, adeoque consequentias saltem illegitimas instituire nituntur. Exaggerat Politicus noster pag. 20. v. 21. cuivis contendendum esse, ut indicia & conditiones Salutis æternæ, quibus illa in sacris Literis appromittitur, in se suspiciat. Sed quomodo id sciri potest, cum scriptura in universali duntaxat, non autem de singularibus loquatur Personis? Formanda igitur, ut sciatur, consequentia, V.G. sic: scriptura docet, rectè credentes & justos salvandos: sed hi homines rectè credunt & justi sunt: Ergo salvandi sunt. Ast de minori grandis restabit Quæstio.

119. His perpensis mirari primùm haud pauci è Syncretistis ac Pietistis incipiunt, mox & exclamare: Deum bonum! tales utique non reprobamus consequentias. Respondeo: Quid ergo reprobatis? Num futiles, illegitimas, adeoque nullas, Illationes? verùm nemo dubitat, ejusmodi nugas ab omnibus esse rejiciendas. An reproba-



reprobatis, quod ignoratis? sed fateamini jam quod sentitis: Illæ vobis displicent Consequentia, quibûs manifestè, quòd opinio vestra sit erronea, intellectum convincimus: Ut proinde effugium aliquod invenire, Argumenta Catholicorum declinare, vestrosque sequaces in præconcepto errore continere valeatis, sequelas & illationes circa Res Fidei institutas, in cõmuni sine fronte & conscientia reprehenditis. Verùm enim verò, si naturali Judicio vestro circa scripturæ sensum aut claritatem, quod ipsimet, fallibile esse agnoscitis, tam firmiter adhæretis, ut subicere illud Ecclesiæ Catholicæ Judicio, jugum arbitremini: Quid causæ est, quòd veræ Consequentia, qua omnis Intellectus rectè dispositus prorsus convincitur, acquiescere abnuatis?

§. 6.

*Fucata charitatis, concordia, mansuetudinis, & modestia Species, quam Syncretistica & Libertino Pietistica opinio induit, neminem seducat,*

120. Ratio est: quoniam sub simili specie, gravissimi omnium semper Temporum grassati sunt errores. Monuit proinde Augustinus, ut blanditias ejusmodi suspectas habeamus: e. c. lib. 2. de Symbolo c. 13. inquit: *Lupus est agnoscite: serpens est, ejus cupita conquassate, blanditur, sed fallit: multa promittit, sed decipit. Venite, inquit, defendam; si necessitas est, pascam; si nuditas, vestiam. O lupe male! O serpens inique! vestis nudum*




*dum, ut exspolies intus Christô vestitum! pascis esurientem, ut Animæ auferas cibum celestem. Pariter differit Origenes de sui ævi Novatoribus; Et quædam etiam Diaboli modestia, est quædam etiam Diaboli gravitas & demissio &: Theodoretus quoque lib. 4. c. 12. describens Nestorii hæresiarchæ externam frontis probitam ac modestiam, nec non in loquendo de Rebus Fidei, gravitatatē, ait: Hoc habitu, & hac simulatione populum inescans, magnam ætatis partem transegit, Christianus videri potius quàm esse studens. Sed opus non est, ut hac in parte nimis simus disertus cùm satis cautelæ ex ipso habeamus Evangelio: Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Matt. 7. v. 15.*

*Ad majoram Dei immortalis, Ter Optimi Maximi  
Gloriam; Et æternam mortali-  
um salutem.*







# CONCLUSIONES

Ex UNIVERSA

THEOLOGIA

Ex Tractatu de Sacramento Pœnitentiæ & tribus reliquis.

I. Datur in Ecclesiâ Christi potestas supernaturalis & judiciaria ad remittenda peccata.

Datur item Sacramentum Pœnitentiæ, institutum à Christo Domino post resurrectionem & distinctum à memoria baptismi, cujus materia remota necessaria principalis, sunt peccata mortalia, ab homine baptizato commissa, venialia autem & mortaliajam subiecta clavibus Ecclesiæ sunt materia sufficiens. II. Absolutio, Contritio & Confessio sunt partes essentielles Sacramenti Pœnitentiæ. Absolutio autem Sacramentalis consistit adæquatè in his verbis, absolvo te à peccatis, quæ absolutio si sit purè deprecatoria, non est valida. III. Contritio consistens essentialiter in dolore, detestatione & proposito formali expresso non peccandi in posterum, est per se necessaria necessitate mediæ ad



ad justificationem in adultis gravis culpæ con-  
scius. Præceptum tamen naturale pœnitendi  
per se non obligat ad statim eliciendam ali-  
quam contritionem, obligat autem tam in pe-  
riculo mortis, quàm extra illud. In qualibet  
contritione perfecta includitur virtualiter  
conditionata electio gehennæ præ peccato; &  
quælibet contritio perfecta semper justificat  
etiam extra Sacramentum in quocunq; sit gra-  
du intensiōis, non tamen sine voto Sacramen-  
ti suscipiendi IV. Attritio supernaturalis con-  
juncta cum spe veniæ etiam sine ullo amore  
DEI perfecto sufficit ad valorem & fructum  
Sacramenti Pœnitentiæ V. Ad valorem Con-  
fessionis jure Divino præceptæ, necesse est con-  
fiteri omnia mortalia eorumq; numerum &  
circumstantias speciem mutantem, imò & ag-  
gravantes mortaliter in eadem specie. Hinc  
ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requiritur  
Confessio materialiter vel formaliter integra.  
Tenetur item pœnitens omnia gravia peccata,  
etiam dubia confiteri, imò & peccatum Com-  
plicitis, si non potest aliter peccati sui speciem  
vel gravitatem aperire, nec potest differre con-  
fessionem, nec adire confessarium, cui complex  
ignotus sit. Modus secretè confitendi soli sacer-  
doti, non est alienus ab institutione Christi.  
Fuit item aliquando publica Confessio, publi-  
corum peccatorum, nunquam verò Ecclesia  
decre-



decrevit publicam Confessionem occultorum peccatorum. VI. Quo tempore fuit in usu pœnitentia publica probabilius est Sacramentalem absolutionem ordinariè datam fuisse post impletam satisfactionem VII. Solus sacerdos completè ordinatus, habens jurisdictionem & approbatus ab Episcopo est Minister Sacramenti Pœnitentiæ, quod non potest esse validum & informe VIII. Merita justorum per peccatum mortificata, reviviscunt per pœnitentiam ad totum præmium essenziale sibi debitum. Peccata vero mortalia remissa simpliciter absolutè tam quò ad culpam, quàm quò ad pœnam æternam non redeunt simpliciter formaliter, sed tantùm secundùm quid ac æquivalenter. IX. Extrema Unctio est verum novæ Legis Sacramentum, cujus materia remota est oleum olivæ simplex, ab Episcopo vel à Presbytero ex Commessione Episcopi benedictum, Materia proxima est unctio quinq; sensuum, Forma est essentialiter deprecatoria. X. Ordinatio, qua sacri Ministri inaugurantur, est verum novæ Legis Sacramentum, idq; tam ordinatio Sacerdotis, quàm Episcopi & Diaconi est verum Sacramentum; imo probabile est ordinationem subdiaconi, atq; etiam minores ordines esse verè Sacramenta. Apud Latinos, ordines sunt septem, apud Græcos quatuor tantùm. Traditio Calicis cum vino & patenæ cum hostia,



ac forma correspondens huic traditioni sunt in Ecclesia Latina de essentia ordinationis Presbyteri, imo etiam impositio manuum Episcopi, super caput ordinandi cum hac forma, *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseras peccata &c.* Jam impositio manuum facta ab Episcopo consecratore cum Codice Evangeliorum super caput ordinandi est materia essentialis, ordinationis Episcopi saltem partialis, Forma sunt hæc verba: *Accipe Spiritum S. &c.* Ordinationis Diaconi in Ecclesia Latina sunt duæ partiales materiae & formæ. Prima est impositio dextræ Episcopi super caput ordinandi cum hac forma: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur &c.* Altera est traditio Libri Evangeliorum cum hac forma: *Accipe potestatem legendi Evangelium &c.* Subdiaconatus, Una est materia traditio Calicis vacui, cum patena vacua cum hac forma, *Videte Cujus ministerium vobis traditur.* Altera est traditio libri Epistolarum cum hac forma: *Accipe librum Epistolarum &c.* XI. Solus Episcopus jure Divino ac vi suæ ordinationis est minister Sacrorum ordinum, Episcopatus Presbiteratus, & Diaconatus, Simplex autem Sacerdos potest ex dispensatione summi Pontificis conferre subdiaconatum & Minores Ordines. Validæ sunt ordinationes ab Episcopis hæreticis, schismaticis, simoniacis, suspensis, degradatis, excommunicatis, non valet tamen ordinatio ab Episcopis



Episcopis Anglorum data juxta formam & Legem ritualis Edvardi 6. Episcopi sunt jure Divino superiores Presbyteris potestate ordinis, & jurisdictionis XII. Lex perpetuæ Continentiæ Sacris ministris imposita non est Divina, sed Ecclesiastica, eaq; justa ac tam constans, & antiqua in Ecclesia Latina, ut nec Episcopis, nec Presbyteris, nec Diaconis uxoribus uti licitum fuerit. XIII. Matrimonium Baptizatorum est propriè Sacramentum Novæ Legis à Christo institutum, tunc cum suâ præsentia Nuptias cohonestaret eisq; benediceret Joan: 12. Materia proxima Sacramenti Matrimonii est mutuus internus liber consensus legitime contrahentium. Forma sunt verba acceptantia hunc consensum. Minister matrimonii non est Parochus assistens, sed ipsi contrahentes. Omne matrimonium legitime absolute contractum est & fuit jure Divino positivo & naturali indissolubile quo ad vinculum, ita ut nunquam dissolvi potuerit & possit sine Concessione Divina. In Lege Mosaica per Libellum repudii verè dissolvebatur Matrimonium ex dispensatione Divina, at verò in præsentis Lege matrimonium fidelium ratum & consummatum potest dissolvi quo ad vinculum per solemnem professionem in Religione approbata, non tamen per susceptionem Sacri ordinis. XIV. Polyga-



lygamia est prohibita naturali & Divina Lege. Veteres Patriarchæ & alii in Lege Molaica post diluvium licitè plures simul uxores habuerunt ex concessione Divina, Christus tamen in Lege Nova hanc dispensationem veteribus datam planè revocavit, & polygamiam illicitam ac irritam fecit.

## Ex Tractatu de DEO.

I. HÆC propositio: DEUS existit, est per se nota secundùm se, non verò quò ad nos. In hac Providentia nemo ratione utens, ignorat, invincibiliter DEUM toto vel longo vitæ tempore: Imò DEI unius existentia non potest invincibiliter diu ignorari ab homine rationis compote. Existentia DEI potest demonstrari à priori Metaphysico. DEUS est unicus, est ens simplex incorporeum, fruens negativè ac positivè omni perfectione, pura ab omni imperfectione, adeoq; continet omnes perfectiones, nihilq; illo melius excogitari potest. Attribute Divina nec à se invicè, nec ab essentia distinguuntur realiter vel formaliter ex natura rei, nec virtualiter. II. DEUS est in omni perfectione infinitus, illimitatus, immensus, est substantialiter secundùm suã entitatem extra Cælos, undequaq; infinitè diffusus, & nunc est in spatiis imaginariis, est immutabilis, æternus, omni-



omnipotens, temporalia tamen & futura, non erant ab æterno realiter præsentia æternitati Divinæ, adeoq; DEUS non cognovit ab æterno certo infallibiliter futura libera ob eorum præsentiam realem in sua æternitate. III. DEUS non potest intuitive cog. solo ab intellectu creato instructo solis naturæ viribûs, potest tamen ab intellectu corroborato aliquo auxilio supernaturali; Neq; potest per se videri oculo corporeo. IV. Lumen gloriæ non est adæquata causa immediata Visionis beatæ. Intellectus perfectior habens lumen gloriæ æquale ac imperfectior producit Visionem beatam perfectiorem Physicè & quasi materialiter, non tamen perfectiorem Theologicè formaliter. V. Scientia visionis futurorum liberorum non destruit libertatem creatam, neq; est causa constitutiva actûs primi proximi per se requisiti ad productionem Creaturarum. VI. Datur in DEO scientia media, tam directâ, quàm reflexa. Actus Divinus Liber non identificatur adæquatè DEO. Prædestinatio tam ad gratiam, quàm ad gloriam est gratuita. Decretum Divinum concomitans sive quodcunq; aliud non regulatum scientiâ mediâ, tollit libertatem proximam creatam. VII. Repugnat Decretum Divinum inflictivum pœnæ æternæ propter delicta ante absolutam prævisionem delictorum; Datur autem reprobatio positiva



habens causam ex parte reproborum, datur etiam reprobatio negativa, non habens aliam causam præter DEI beneplacitum. VIII. My-sterium SSS. Trinitatis etiam supposita illius fide, ac revelatione non potest sola ratione natu-rali demonstrari positivè, sed negativè tan-tum, potest item probabiliter svaderi, imò evi-denter ostendere possumus Mysterium ejusmo-di esse prudenter credibile. Hoc Mysterium fuit revelatum solis Judæorum Patriarchis, Pro-phetis ac Viris Sanctitate conspicuis, fuitq; in-ter Judæorum Legis peritos subobscura traditio de SS. Trinitate, Gentiles autem Philosophi non habuerunt accuratam ac rectam notitiam hujus Mysterij. IX. Datur in DEO vera ac propriè dicta processio & est duplex tantum. Principium quo, communicativum producti-vè & realiter immediatè productivum Processi-onum Divinarum est solùm prædicatum rela-tivum. X. Inter personalitates & essentiam Divinam neq; datur distinctio realis simplici-ter, neq; formalis ex natura rei, datur tamen distinctio virtualis, quæ requiritur & sufficit ad explicandum Mysterium SS. Trinitatis. Per-petua ab Apostolis usq; ad Concilium Nice-num fuit traditio de tribus in DEO uno di-stinctis Personis. Hinc in lege Evangelica præ-ter S. scripturam existunt Divinæ traditiones, quæ æqualem auctoritatem habent S. Scriptu-



ra. XI. Christus ut DEUS, æterna Generatione à Patre exivit. Spiritus<sup>s</sup>. qui est verus DEUS procedit à Patre & Filio tanquam ab uno principio, ita ut particula *Filioq;* jure merito addita fuerit Symbolo Constantinopolitano.

## Ex Tractatu de Beatitudine, Actibus humanis, & Angelis.

I. BEatitudo formalis consistit adæquatè in visione amore gaudio & cognitione perpetuitatis: ad quam antequam admittantur animæ justorum, quæ necdum plenè satisfecerunt justitiæ Divinæ, pœnis purgatorii purgantur, & suffragio fidelium vivorum juvantur. Animæ verò justorum in hac vel altera vita plenè purgatae statim fruuntur Visione intuitiva DEI. Toto tempore veteris testamenti usq; ad mortem Christi nullæ animæ etiam Sanctæ consecutæ sunt Beatitudinem Essentialem. Post mortem tamen Christi eandem sunt consecutæ, ac post dies quadraginta cum Christo Cælos ascenderunt. II. Corpora mortuorum resurgent, pollebuntq; sua beatitudine consistente in quatuor dotibus corporis gloriosi. III. Omnis & sola ignorantia pura, sive facti, sive juris etiam naturalis, excusat à peccato. Licet autem non detur ignorantia juris naturalis quo ad prima principia juris naturæ, eorumq; proximas Conclusiones, datur tamen,



quo ad Conclusiones magis remotas. IV. Libertas indifferentiæ Necessaria ad merendum vel demerendum non consistit in solo voluntario perfecto ac deliberato, sed excludit Necessitatem simplicem, etiam voluntariam. S. Augustinus etiam in hoc statu naturæ lapsæ sensit inesse homini libertatem ab omni necessitate simplici antecedente. V. Datur actus humanus indifferens in specie non in individuo. Actus externus non auget per se formaliter bonitatem vel malitiam actûs interni in ordine ad præmium vel pœnam essentialem, auget tamen per accidens in ordine ad præmiû vel pœnam accidentalẽ. VI. Etsi non semper liceat sequi opinionẽ minùs probabilem & minùs tutam relicta probabiliore & tutiore, per se tamen loquendo & spectata sola honestate operationis, licet aliquando sequi sententiam practicè probabilem relicta probabiliore & tutiore. Ex duabus opinionibus æquè probabilibus, quarum altera favet legi, altera libertati, ea teneri non omnino debet, quæ tutior est, sed voluntas potest applicare intellectum ad assentiendum huic potius quàm illi parti. VII. Angeli sunt purè Spirituales & ex natura sua immortales, non cognoscunt certo intuitivè actus aliorum internos liberos. Per se loquendo poterant peccare primo instanti Creationis. Primum peccatum malorum Angelorum fuit superbia, cujus



cujus objectum fuit unio Hypostatica. Dæmones actibus malis, quos continuò liberè eliciunt, verè peccant, non tamen demerentur: Cruciantur autem igne vero & propriè dicto, quatenus illi insolubiliter alligantur tanquam perpetuo carceri, & insuper cruciantur alio modo speciali nulli, mortalium satis cognito.

## Ex Tractatu de Gratia & peccato.

I. AD omnem actum salutarem requiritur semper etiam in homine justo Gratia interna supernaturalis. Homo etiam infidelis potest solis naturæ viribus ponere actum naturalem ex omni parte, etiam ex fine honestum, sed non arduum. Etsi DEUS solis naturæ viribus amari possit ut auctor naturæ, amore imperfecto, non super omnia, non potest tamen sine gratia supernaturali amari super omnia etiam ut Auctor naturæ amore effectivo vel affectivo. II. Nemo sine supernaturali illustratione, & inspiratione credere potest fide Christiana, mysteria fidei nostræ quamvis credibiliter proposita. Non possunt servari sine Gratia sanante naturam omnia præcepta moralia sive quoad modum, sive quoad substantiam; Non potest item homo solis naturæ viribus ullam tentationem gravem superare, nec sine Gratia resurgere à peccato, nec vitare



re omnia peccata venialia toto vitæ suæ tempore cum ordinariis auxiliis Gratia. III. Gratia sufficiens in sensu Ecclesiæ est, quæ effectu ad quem datur, caret ex culpa voluntatis ad eum tamen ponendum dat veram potentiam etiam relativè ad præsentem difficultatem. IV. Supposito etiam peccato originali DEUS verè vult voluntate Antecedente beneplaciti omnes ac singulos homines salvare, & Christus Dominus pro omnibus & singulis mortuus est, ac sanguinis sui pretium pro omnibus obtulit DEO Patri. Gratia sufficiens pro loco & tempore omnibus datur mediatè vel immediatè. Omnibus justis urgente præcepto datur Gratia verè sufficiens ad servanda omnia præcepta, etiam dū ea violant, & ad perseverandum in statu Gratia. V. Gratia sufficiens & necessaria ad resurgendum à peccato etsi nulli desit, pro loco & tempore, non tamen adest omnibus momentis: ad vitanda autem peccata omnibus hominibus & omni tempore conferitur Gratia mediatè vel immediatè. Peccatoribus etiam excæcatis & obduratis datur Gratia sufficiens ad conversionem, non omnibus tamen temporibus, sed certis. Omnibus infidelibus, etiam qui nihil audierunt de rebus Fidei, datur pro loco & tempore Gratia sufficiens ad credendum. Imò DEUS vult sincerè salutem omnium infantium voluntate beneplaciti



placiti antecedente & media pro ipsis præparavit, ac de illis applicandis sufficienter, quantum de se providit. VI. Gratia efficax non consistit in delectatione victrici voluntatem necessitante ad consensum, neq; consistit in delectatione determinante vel prædeterminante Physicè. Sed Denominatio Gratiæ efficacis in actu primo, coalescit ex entitate Gratiæ ex se indifferentis tanquam subjecto, & ex efficacia tanquam forma, quæ efficacia habetur tū ex scientia media de futuro Consensu, si detur Gratia, tum ex Decreto Divino purificante conditionem, idest volente absolutè efficax ter poni Gratiam & consensum. Denominatio autem Gratiæ efficacis in actu secundo, seu actu efficientis, coalescit ex entitate Gratiæ ex se indifferentis & ex efficacia in actu secundo, seu efficientia idest ex ipso consensu: estq; hæc Gratia efficax congrua. VII. Non solum moraliter, sed etiam Metaphysicè implicat frustrari omnia infinita auxilia Divina, adeoq; impossibilis est etiam speculativè loquendo, creatura inconvertibilis. Absolutè implicat prævideri creaturam, quæ omnibus infinitis auxiliis contentiret, & quæ prævideretur inobdurabilis. Ex duabus Gratiis solò Numero differentibus, una potest esse in Petro congrua, cui ille consentit, & altera non esse Congrua in Paulo etiam in his ipsis plane circumstantiis, cui ille non consentit



fentit. VIII. Gratia Sanctificans distingvitur realiter adæquatè ab omnibus habitibus infusis. Eadem Gratia non potest naturaliter componi cum peccato mortali in eadem anima, potest tamen Divinitus in alia Providentia. Etsi verò non sit possibilis Sanctitas extrinseca, possibilis tamen est condonatio Divina peccati pure extrinseca. IX. Peccatum Mortale Theologicum non est simpliciter infinitum etiam in ratione offensæ. Peccatum quodlibet constituitur formaliter per aliquid positivum, non per meram privationem.

## Ex Tractatu de Incarnatione.

I. **M**ESSIAS promissus jam diu advenit. Illeq; est **JESUS NAZARENUS**. II. Septuaginta hebdomades Danielis inchoandæ sunt ab Anno vigesimo Artaxerxis Longimani. III. Incarnatio fuit maximè conveniens **DEO**, naturæ humanæ, & toti universo creaturarum. Non fuit antecederentè absolutè necessaria, nec ex hypothesi creationis mundi, elevationis ad statum supernaturalem, lapsûs humani generis in peccatum, ejusdemq; reparationis; fuit tamen simpliciter necessaria ex suppositione condignæ satisfactionis ab homine præstandæ. Siquidem nulla creatura quantiscunq; gratiæ donis ornata potest satisfacere condignè pro offensâ peccati mortalis, sive sui, sive alieni. IV. Causa principalis efficiens Incarnationis est

tota



tota Sanctissima Trinitas. Causa finalis non est  
ipsum solum remedium peccati. Unde Adamo  
non peccante Christus ex vi præsentis decreti  
adhuc venisset. V. Ex Divinis personis sola per-  
sona Filii est Incarnata, & assumpsit in sola pro-  
prietate sua relativa unam singularem veram  
naturam humanam, nobis consubstantialem,  
constantem proprio corpore, passibili, & aliis  
communibus defectibus, humanæ carnis nati-  
væ conditioni propriis, obnoxio, item vera ani-  
ma rationali, mentē ac intellectū creato præ-  
dita, creata item voluntate, ita ut duplex sit  
in Christo voluntas et operatio. VI. Christus  
non meruit, imò de absoluta sua potentia non  
potuit per quodcunq; meritum mereri suam  
unionem hypostaticam. Quæ unio non est fa-  
cta in natura, sed in Persona. Neq; consistit in  
ulla entitate creata superaddita Verbo Divino  
& naturæ humanæ, ut productæ & existenti vi  
Decreti, quo Verbum Divinum vult eandem  
humanitatem existere in ordine ad exercendas  
in ipsa, & per ipsam operationes sibi ex modo  
stendendi intrinseco suppositivè proprias. Unde  
Verbum Divinum absq; ulla tali entitate super-  
addita per se immediate vi suæ liberæ deter-  
minationis per tale decretum factæ, unitur  
humanitati, eamq; sibi immediatè unitam fa-  
cit. VII. Unionem hypostaticam consequitur  
idiomatum communicatio inter DEUM & ho-  
mi-  
nis



minem, quæ non consistit in reali cummuni-  
catione attributorum Divinitatis facta huma-  
nitati, sed consistit in hoc, quòd divina & hu-  
mana prædicata de eadem persona verè in con-  
creto prædicentur. VIII. Humanitas Christi  
Domini est Sancta sanctitate increata Verbi  
Divini, & quamvis non sit de fide fuisse in ea  
gratiam habituales, est tamen ita certum, ut  
oppositum sit temerarium. Est quoque ratione  
unionis hyposticæ impeccabilis omnino, in, &  
pro statu ejusdem unionis, impeccabilitate non  
solùm excludente libertatem conjungendi pec-  
catum cum unione hypostatica, sed etiam liber-  
tatem amittendi unionem hypostaticam. IX.  
Christus in terris degens secundùm suam ani-  
mam à primo conceptionis instanti fuit prædi-  
tus scientiâ creatâ, tum visionis beatificæ, tum  
infusâ, tum progressu temporis acquisita, &  
experimentalis. Humanitas ipsius ad miraculo-  
rum patratiorem & Gratiæ productionem non  
concurrit Physicè, sed tantum moraliter. X. Li-  
bertas Christi in acceptanda & subeunda mor-  
te ex præcepto Patris sufficientissimè concilia-  
tur cum ejus impeccabilitate per hoc, quod  
idem præceptum fuerit Christo evitabile quo  
ad suam absolutam in actu secundo urgentiam,  
quatenùs, per efficacem manifestationem lux  
Divinitatis potuit impedire casum intentatæ  
sibi à Judæis necis, pro quo idem præceptum  
urge-



urgebat. XI. Operationes Christi habuerunt valorem simpliciter & absolute infinitum ad satisfaciendum & merendum apud DEUM. Unde satisfactio ab Eo exhibita pro peccatis generis humani non solum fuit ex se ab intrinseco condigna, sed etiam superabundans. Eadem quoq; quoad rationem justitiæ commutativæ fuit strictè justitialis ex parte Christi satisfaciens, non tamen ex parte DEI eandem acceptantis. XII. Christus Dominus mortem suam Patri obtulit pro omnibus omnino hominibus, adeo ut antecedenter ad cujusq; reprobationem voluerit omnibus serivè & sincere quantum ex parte sui prodesse, non solum quo ad temporaneam justificationem & alia dona ordinis supernaturalis, sed etiam in ordine ad salutem æternam. XIII. Humanitas Christi adoranda est cum Verbo cultu latriæ, ita ut humanitas una cum Verbo latriam terminet, tanquam partiale ipsius objectum, non quidem propter se, sed propter increatam excellentiam Verbi, cum quo hypostatice conjuncta est. Imagines quoq; Christi venerandæ sunt religioso cultu, non penitè absolute, sed respectivo, non abusivè tantum, sed propriè.

B

Ex



# EXTRACTATU De SACRAMENTIS.

I. OMnia Sacramenta Novæ Legis constant rebus, tanquam materia, & verbis sive propriè, sive æquivalenter talibus, tanquam formâ. Quæ res & verba sunt à Christo determinata, ita ut mutatio eorum substantialis nullum efficiat Sacramentum. II. Ad veritatem substantialem Sacramenti necessaria est interna Ministri intentio, qua velit non fingere ac simulare, sed verè ac serio facere simpliciter ac generatim saltem id, quod facit Ecclesia. Non requiritur tamen in ministro fides & probitas sive Sanctitas vitæ. III. Extitit pro parvulis in lege naturæ aliquod adversus originale peccatum remedium, illud verò in fide venturi Messia, signò aliquò, sive actu exteriori demonstrata, positum fuit, habuitq; rationem Sacramenti. Non immerito quoq; conjici potest in lege naturæ aliqua pro adultis fidelibus extitisse Sacramenta. In lege vero scripta præter circumcissionem plura alia instituta fuerunt. IV. In nova lege existunt septem Sacramenta, nec plura, nec pauciora, videlicet, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Quæ omnia & singula Christus immediatè & per se ipsū instituit. V. Hæc Sacramenta causant



sant gratiam habitualem ex opere operato, non physice quidem, sed moraliter tantum, idq; inæqualem ininæqualiter dispositis. Singula quoq; peculiarem aliquam, quæ Sacramentalis dicitur, conferunt gratiam, quæ nihil aliud est, nisi ipsa gratia habitualis, eiq; jus quoddam annexum ad obtinenda, cum opus fuerit, auxilia gratiæ, necessaria ad proprios uniuscujusq; Sacramenti fines consequendos. VI Ex his duo tantum, nempe Baptismus & Pœnitentia per se primo conferunt primam gratiam, cætera verò per se primo secundam gratiam, per accidens tamen & illa possunt conferre secundam gratiam, & hæc primam. VII. In tribus Sacramentis Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine imprimitur character in anima, hoc est signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt. VIII. Materia Baptismi remota est sola aqua naturalis, seu elementaris. Materia proxima est ablutio hominis exterior, quæ sive per aspersionem fiat, sive per infusionem, sive per immersionem, unam, vel triam, sufficit ad valorem Sacramenti. IX. Christus certam verborum formam in Baptismo usurpandam præscripsit. Quæ verba consecratoria sunt, nec requiruntur concionatoria vel promissoria. X. Baptismus in re vel in voto est necessarius adultis necessitate mediæ & præcepti



ad salutem, parvulis verò extrá Martyrium est necessarius in re necessitate medii. Martyrium porro virtutem Baptismi fluminis perfectè supplet ex opere operato, tum in infantibus, tum in adultis, in istis tamen præviæ quædam dispositiones requiruntur. Perfecta quoq; charitas & cordis contritio includens votum Baptismi aquæ, illius vices supplet in adultis. XI. Infantes sunt Baptismi capaces, & expedit eos baptizari. In quibus, cùm baptizantur, nulla est fides actualis; Filii infidelium, qui nondum usum rationis adepti sunt, non debent invitâs Parentibûs baptizari, nisi sint serviliter subjecti, aut in manifesto vitæ discrimine constituti. XII. Baptismus sive in hæresi, sive in schismate, sive in ipsa Ecclesia Catholica validè sed fictè susceptus, recedente fictione, reviviscit, & causat gratiam. XIII. Confirmatio est verum Sacramentum novæ legis, cujus veritas non solum ex perpetua & constanti totius Ecclesiæ praxi & traditione, sed etiam ex sacris literis efficaciter probatur.

## Ex Tractatus de Virtutibus Theologicis.

I. **D**antur virtutes Theologicæ quo ad habitum, illæq; sunt tres Fides, spes, Cha-



ritas. II. Conclusio deducta ex una præmissa  
revelata & altera non solum Physicè, sed e-  
tiam moraliter certa certitudine magna &  
absoluta, potest credi fide Divina. III. Hunc  
numero hominem v.g. BENEDICTUM XIV. esse  
verum PAPAM est objectum fide Divina credibi-  
le. IV. DEUS etiam de potentia absoluta non  
potest per se mentiri, aut falsum dicere. Neq;  
potest fieri miraculum verum à DEO, aut per-  
mitti in confirmationem doctrinæ falsæ. V. Amor  
concupiscentiæ, quo prosequimur DEUM, ut  
summum nostrum bonum, honestus est.

## ExTRACTATU


### De Justitia.

I. DOMINIUM DEI accidentale generale est sim-  
pliciter inabdicabile adeoq; & transferri-  
bile non est à DEO in creaturam. II. Pote-  
stas validè revocabilis utendi licitè rebus unico  
usu consumptilibus est distincta ab omni Domi-  
nio. III. Fratres Minores Seraphici Ordinis ha-  
bentes usū facti licitum, seu potestatem uten-  
di rebus unico usu consumptilibus non habent  
dominium formale earundem rerum sive in com-  
muni, sive in particulari. IV. Non datur in  
DEO, imò repugnat justitia commutativa ri-  
gorosa stans simul cum obligatione iustitiali orta



ex stricto jure adversus DEUM. V. Judex delegatus non potest licitè condemnare illum, quem privata noticia certo & evidenter scit innocentem, licèt per allegata & probata convincatur esse nocens.

Ad M. D. G. B. V. J. C. Honorem.



*Defendentur publicè in Aula KARNKOVIANA  
& LUBIENIANA Coll: Calissi S. JESU  
à Reverendo Domino MARTINO  
KROLIKIEWICZ, Mariane Academiae  
Cancellario.*

Z Biblioteki  
Seminarium  
Sandomierskiego









